


p̄udiciū ⁊ p̄amū fit ⁊ p̄udiciū. ut di
 ab h̄acē h̄i p̄metū nonne ut fētaē
 ut tōnfiur. accepit q̄ndū mē d̄uere
 s̄t ⁊ p̄udiciū. s̄ eo cēstante n̄ i on
 nēi exent natū h̄e n̄. s̄. de h̄ue q̄ m̄.
 n̄. uē. cā. fr. c. plati. quidā t̄i expōnūt
 p̄m̄. ⁊. p̄metū. s̄. q̄. q̄nō p̄t̄ h̄e. q̄
 h̄ a p̄ncipio sumit h̄tū p̄m̄ post ca
 stando p̄amū iustificabit. s̄ p̄ s̄ lūm̄do
 n̄ i iustitōe uouēdi nō iustificabit. s̄. q̄.
 q̄d̄ q̄n̄ d̄at̄ ē. ei h̄e h̄ iusto t̄i ca i tēna
 one d̄icē ut fuit m̄d̄i. v̄n̄ q̄ c̄ n̄oie
 fōm̄ ē h̄ s̄ uolūtātē e s̄ nō solū exp̄llē uo
 uēdo s̄ ⁊ t̄acte i m̄d̄i s̄io p̄amū p̄m̄i
 to iustificare n̄t̄. e. cū n̄t̄. s̄. a n̄e q̄n̄ n̄
 ipe nec ille n̄q̄ q̄ eū h̄tū iduut s̄c̄ndē h̄e
 q̄ d̄et̄ h̄ m̄d̄i. q̄ t̄le q̄d̄ m̄d̄i ē t̄acte
 p̄ h̄p̄i s̄p̄is iustificari n̄ m̄ll̄. c̄iā. u. r.
 m̄d̄i. r̄. m̄aiūt. t̄acte e i utū h̄e
 u. s̄. d̄e h̄t̄ q̄ u. m̄e uē. cā. fr. plati.
 t̄d̄ia. h̄ d̄et̄ q̄ n̄e lōd̄. q̄ n̄ p̄fē h̄ ⁊ s̄io
 p̄fē h̄ n̄ p̄fē h̄ uolentē h̄ m̄ale em̄d̄
 v̄l̄ḡio s̄ p̄o r̄. ⁊. iō. q̄ h̄t̄.

p̄fē h̄ q̄ nō p̄fē h̄. eū d̄e r̄. s̄. h̄
 port̄es. ⁊ h̄e s̄p̄i r̄. n̄. q̄ p̄t̄
 h̄tū. uo m̄d̄i r̄. m̄d̄i r̄.
 tur. h̄ n̄y m̄d̄i h̄ f̄a t̄e o. uer̄.
 cū d̄l̄ta s̄olēp̄. i n̄t̄ m̄er̄. s̄. fact̄.
 fac̄ p̄a q̄. n̄ fact̄ū uelant̄. s̄. q̄. c̄i uo
 ⁊. m̄h̄ n̄ fact̄. a. r̄p̄r̄. r̄. h̄e q̄ p̄
 c̄i. h̄t̄. s̄ n̄ d̄et̄. t̄. e. q̄ n̄ con̄t̄.
 uē. h̄ n̄ fact̄. uē. s̄ fact̄. h̄ d̄l̄q̄ p̄
 p̄. q̄ uis p̄tea obt̄m̄ h̄. s̄. m̄on
 les t̄. n̄. q̄d̄ p̄fē h̄a t̄act̄ h̄. d̄e h̄ u
 h̄. a. i. q̄ d̄ h̄. ut n̄o. i. ḡlo. h̄ u. d̄ia.
 s̄. r̄. d̄ia e i p̄. s̄. p̄m̄ p̄o uē. o. u
 n̄. a. r̄. p̄. r̄. h̄. ⁊. r̄. h̄. u. q̄. i. a. i. d̄. u. s̄.
 s̄. h̄. r̄. r̄. q̄. l. u. d̄. u. a. ⁊. h̄. e. p̄. s̄. d̄.
 que h̄a m̄e. uē. c̄a. r̄. p̄. l̄a. u. u. u. e. l̄a. m̄.
 lud̄t̄. s̄. a. i. e. n̄. d̄. i. que e. a. l. i. c̄. a. b. i. q̄. u. e. l̄.
 offerūt. p̄. m̄. e. ad. e. u. d̄. a. r̄.
 r̄. h̄. u. q̄. r̄. u. d̄. u. a. ⁊. h̄. d̄.
 cū. a. b. i. r̄. p̄. uē. r̄. c̄i. u. e. l̄a.
 a. u. t̄. ad. p̄. h̄. a. n̄. d̄. q̄. d̄. t̄. m̄.
 r̄. h̄. u. d̄. i. q̄. p̄. r̄. h̄. o. ḡ. n̄. u. a.

CL
 2917

Db, 13





سب

LAMBERTI LVDOLFI
PITHOPOEI, DAVENTRIEN-
SIS, POST REDITVM IN ACA-
demiam Eitelbergensem,
DE STUDIO POETICES
ORATIO I.

AD ILLUSTRISS. PRINCI-
pem Fridericum, Ludouici VII. Ele-
ctoris Palatini F.



EITELBERGÆ,
Typis Iacobi Mylij,

CIC. IO. XXCVI.

INSTITUTIONAL LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

4 23 1964

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

4 23 1964

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

4 23 1964

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

4 23 1964

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

4 23 1964



ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPi, GENEROSISSIMAEQVE IN-
DOLIS, ET MAXIMAE OPTIMAEQVE
spei puero, Friderico, Comiti Palatino ad Renum,
Duci Bauariae, Ludouici VII. Electoris
Palatini filio, Domino meo
clementissimo.



*Vi dono genij breuis libellum,
Qui mea satis exit officina
Festino pede, suppressendus annos
In nouem potius, monente Flacco?
En FRIDRICE tibi, tenella cuius
In vestigia magna, crescit aetas,*

*Auita bene laudis & paterna,
Patru studio & labore Iani.
Tu meas etenim putare nugas
Soles esse aliquid, tuiq, saepe
Mihi signa fauoris edidisti
Erga me liquida, hic referre cuncta
Quae longum nimis & foret molestum.
Haec ergo memori tenere mente,
Et meam, tenuem licet, vicissim
Annitar tibi sedulus probare
Opellam reuerenter & modestè,
Et promptum studium, tuamque quamuis
Rudi carmine, stridulaq, auena,
Aetatem teneram, indolemq, celsam,
Ad verae decus incitare pergam
Virtutis, patrium beatus olim*

A ij Cum

Cum laude ut merita solum gubernes,
Tui nominis & celebritate,
Tuorumque salute subditorum,
Nec unquam patiare, ut amplitudo,
Et licentia te potentis aulae,
Et regni, κολάκωρ & improborum
Fraudes, nequitia, & leues susurri
Transuersum rapiant, suisque captum
Artibus retrahant bene instituto
A cursu pietatis, & scholarum
Musarumque, & amore iusti & equi.
Ac velut Siculi camœna vatis
Ciuem iure suum, vafrumque vatem
Commendans Epicharmon, hoc celebrat
Ipsam busti epigrammate elegante,
Μηχοῖς χρέσιμα πολλὰ παίσιν εἰπερ:
Sic tu Dux FRIDERICE, spes decusque
Stirpis eximium tuæ, fouere,
Amare, & colere, & pie vereri,
Ut laudabiliter facis, deinceps
Perge omnes, teneri tui tabellam
Qui rasam ingenij student polire
Sanctis moribus, integraque vita,
Artiumque scientia bonarum,
Et virtutibus usque, quæ potentem
Et bonum deceant bonisque natum
Auis & proavis, parentibusque
Principem, columen suis futurum
Quondam præsidiumque dulce terris,
Et cura studioque qui fideli,

Ut sagax Epicharmus ille fecit,
 Dicunt χρήσιμα πολλὰ & vsque scribunt
 Præclara puero spei, indolisque
 Heroæ tibi, regiaque stirpis,
 In his GRONRADIVM, magistrum, OTHONEM
 Et mirum artificem tuæ regendæ
 Aulæ, & studij puertiaq̃,
 Et LINGELSHEMIUM tibi GEORGVM
 Bonis artibus additum excolendo
 MICHAELVM, ingenio valentem & arte,
 Doctrinâque virum elegantiore,
 Linguarumque peritia exterarum,
 Qui Legum Themidosque Doctor audit;
 Cari & prouida cura quos fidelis
 Tutoris tibi patruiq̃, iunxit
 Custodes Ephorosque diligentes
 Ætati teneræque lubricæque
 Ad veræ pietatis & bonarum
 Amorem studiumque litterarum,
 Ad mores placidos, graues, benignos,
 Lenes, magnanimo Duci decoros,
 Ad castam, FRIDERICE, sobriamque,
 Dux, molli meditando ab vngue vitam,
 Formandæ, veluti suum regendum
 Quondam tradidit & docendum Achillem
 Peleus Philyridæque Nestorique,
 Ut ῥήτης fieret λόγων, & ἔργων
 πρῆκτης à teneris puertiaë annis.
 Hanc quoque exiguam rudemque strenam,
 Rara pagina quem facit, libellum,

Nostra quem, Generose, Musa, Princeps
Fere tibi, placida, ut solesque leta
Mente atque accipe fronte, disputantem
Scriptura tenui, styloque leni,
De fonte & studio Poëticae artis.
Nam verè Sículus canit Poëta,
Suum ciuem Epicharmon, & Poëtas
Bonos Pierijs sacros Deabus,
μικροῖς χρύσιμα πολλὰ παίσιν εἰπεῖν.
Sic seros hilarem & benigna seruet
Dei dextera te valentem in annos,
Florentem ingenijque corporisque
Bonis omnigenis, decus perenne
Futurum patrij solique auiti.

Eitelbergæ, Kalendis Ianuarijs
inchoantibus à nato Christo
CIC. IC. XXCVI. annum,
quem Celsitudini Tuæ, toti que
Ecclesiæ & Reipubl. Christianæ
lætum, tranquillum & felicem
in Domino, precor optoque

C. T.

reuerenter & demissè colens

Lambertus Pithopœus.

ORATIO DE STUDIO POE-
TICES, HABITA IN ACADEMIA
EITELBERGENSI, EIDIBVS OCTO-
bribus anni 1584.



NTVENTI MIHI, ORNATIS-
simi viri, tuq; lectissima ac florentissi-
ma, eruditæq; pietatis studiosissima
iuventus, post paucorum interual-
lum annorum huc reuerso, ornatissi-
mam hanc & iucundissimam in cele-
berrima hac & iam ducentos, minus tribus, stante
per Dei gratiam annos Academia, docentium & dis-
centium artes & scientias, linguasq; Deo gratissi-
mas, & hominum consociationi vtilissimas, maxime
que salutare & necessarias, coronam, in mentem ve-
nit non sine tacito suauissimæ & honestissimæ ac li-
beralissimæ voluptatis sensu id, quod in Epicharmi
Poëtæ Siculi epitaphio epigrammate positum esse,
memoriæ proditum est à Siculo itē Poëta Theocrito;
πολλὰ ποτ' ἄρ' ἔωα' τοῖς παισὶ μείπε χεῖσιμα,
μεγάλα χάρις αὐτῶ.

Tenue profectò, humile, vulgare, & contemptum
hoc, prima illud fronte adspicientibus videri posse
fateor Epicharmi Poëtæ elogium; sed sanè, si peniti-
ùs quis hoc ipsum, licet breue admodum & paucissi-
morum verborum ἐπιτάφιορ ἐπίγραμμα introspiciat
& accuratiùs expendat, nihil dubito, quin longè plus
& maius in recessu continere, quàm primo intuitu
ostendat

ostendat & promittat, nullumq; aliud de Poëta, atq; adeò de quouis homine, amplius, honorificentius, & alijs etiam optabilius, magisq;, quàm hoc sit, expectandum, dici, scribi, publiceq; poni vel tunc potuisse, vel etiamnum posse, libenter mecum & apertè sit confessurus.

Quæ enim præclarior & verior homini ab homine potest laus attribui, quàm si quis, vt Epicharmus, τοῖς παισὶν, hoc est, florenti iuuenum & puero- rum ætati, in primisq; Iuuentuti scholasticæ, non ματαιοτεχνίας, nullum laudabilem in Republica & Ecclesia Christi habentes vsu, non ad inanem tantùm pompam & fucatum comparata splendorem ac ostentationem πάρεργα καὶ περιέργα, &, vt loquitur optimus, etiam optimi Poëtæ & oratoris Tullij testimonio Poëta Euripides, κόμπουε καὶ λόγων εὐμορφίας, multò verò minus, palàm & perspicuè falsa, impia, & generi humano, præcipueq; τοῖς παισὶ perniciofa, sed ποτὶ ἄρ ζωᾶν χρήσιμα; hoc est, liberalium artiũ & optimarum scientiarum, linguarumq; studia, quæ & ad pleniorum sacrarum literarum intelligentiam, & ad conseruandam, fouendam, ornandamq; hanc hominum inter se coniunctionem, plurimum adferunt momenti & adiumenti, tradidisse, assidueq; proposuisse, & fideliter inculcasse, verè prædicetur?

Quemadmodum ergo in veteribus legibus Romanis hæc quoque, velut interpretres & moderatrix ceterarum omnium fuit, *Salus populi suprema Lex esto*: ita omnium scholasticarum quoq; legum & actionum summa & præcipua esse meritò debet hæc, vt τοῖς παισὶ πολλὰ

εἰ πολλὰ ποτῶν ζωῶν χρήσιμα dicamus, & iuventuti
scholasticæ non præesse tantùm, verùm etiam, & qui-
dem multò magis, prodesse docendo regendoq; & se-
riò ac sincerè velimus, & fideliter ac constanter pro
virili annitatur, nostrosq; omnes labores, cogita-
tiones, studia, consilia, & actiones, post Dei gloriam,
in hunc quasi scopum metamq; dirigamus, vt iuuen-
tus nostræ commissa fidei, à nobis & doctior, & quod
caput est, melior, ad suos aliquando reuertatur, atq;
ita cum Epicharmo Poëta, quoq; nos hanc studiorū
nostrorum laudem ac cōmendationem verissimam
& iucundissimam, & hunc laborum nostrorum frus-
ctum longè maximum, vberimum & optatissimum,
ex scholasticis hisce, licet apud leue & imperitum
vulgus contemtis, vt vocant, pulueribus reponemus
& ad posteros etiā relinquamus, vt τοῖς παισὶ ποτῶν
ζωῶν πολλὰ χρήσιμα dixisse, iure meritoq; nostro di-
camur, ac, si fieri possit, nostro quoque sepulcro, hoc
verè magnificum elogium & præconium, meritò à
memori grataq; posteritate inscribatur, τοῖς παισὶ
ποτῶν ζωῶν πολλὰ χρήσιμα εἶπε.

Quàm vberem & copiosam, quàm vtilem & iu-
cundam veræ solidæq; laudis & commendationis se-
getem ac materiam, quanta verborum breuitate, de-
niq; quàm multa & præclara, quàm paucis & tenui-
bus voculis complectitur & prædicat hoc Epicharmi
Poëtæ ἐπίγραμμα ἐπιτάφιοι! Nam, vt verè & sapienter
2. de Diuinatione libro ait Tullius, *nullum munus Rei-
publ. afferre maius meliusue possumus, quàm si docemus atque
erudimus iuventutem, his præsertim moribus atq; temporibus,*

B quibus

quibus ita prolapsa est, ut omnibus omnium opibus refrenanda sit
& coercenda.

Quò etiam facere videtur, quod monet diligenter
& sedulò parentibus inculcat & commendat Satyri-
cus poeta Iuuenalis Satyra 14. velocius & citius nos, in-
quiens,

Vide s. omnes Ma.
1074 p. 76.

Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos autoribus. Vnus & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore lato finxit præcordia Titan;
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpa.
Abstineas igitur damnis huiusce. Etenim vel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes sumus, & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe;
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.

Quem ipsum locum mox idem Poeta hoc insi-
gni & memorabili claudit epiphonemate;

Nil dictu fœdum visuque, hæc limina tangat.
Intra quæ puer est.

Maxima debetur puero reuerentia. Siquid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Quid, quæso, ab Ethnico & homine & Poeta, de
rectè educandæ instituendæque, ac ad virtutis stu-
dium & amorem sedulò informandæ sobolis, cura &
solicitudine dici potuit sanctius, quid præclarius,
quid laudabilius? Nihil, profectò nihil.

Atque

Atque utinam, iterum dico, ò utinam parentes plerique hoc nostro seculo, huius tam sancti & salutaris consilij memores, magis de pia & diligēte liberorum suorum educatione & institutione, quàm de magnis opibus, quas illis post se relinquunt, accumulādis essent solliciti. Certè rectiùs res humanæ haberent, quàm habere, quotidie non sine dolore videmus & experimur. Verissimè enim & sapientissimè dixit Socrates, quod etiam, ut rem vnam omnium maximè necessariam frequentissimis apud suos usurpavit sermonibus, id quod de Socrate Xenophon in quadā ad Critonem epistola, memoriæ prodidit, eos videlicet parentes, qui magis & potiùs de locupletandis, quàm de benè erudiendis, & ad virtutem & sapientiam à tenera ætate assuefaciendis suis liberis sint solliciti, similes esse Hippocomis, equos ad labores & operas bellicas non exercentibus, & interim tamen pabuli ipsis maximam & sæpè etiam superfluam copiam præbentibus. Ita enim fieri, ut, quemadmodum Hippocomi equos reddant pinguiores quidem, nitidiores, & habitiores, verùm ad obeunda opera militaria prorsus ineptos; nec enim in corpulētia tantùm & nitore, sed in robore, velocitate, alacritate, atque audacia, sitam esse veram equorum laudem & pretium: sic parentes, qui liberis suis latifundia tantùm & magnā opum vim corradant, educationem interim eorum & rectam institutionem vel nihil, vel paululum curantes, relinquunt quidem sæpè liberis possessiones maximi pretij, sed liberos ipsos sortiantur tandem vilissimos & nullius omninò pretij, ac, ut ait Homerus,

B ij

ἔτ' ὄσιον ἄχθος ἀγούρης, qui vbi adoleuerint, & ad iustam
pervenerint ætatem, neque natate, vt proverbio di-
citur, neque literas sciant, & nihil, nisi numerus sint, vt
ait sapientissimus Poëta Horatius, & fruges consumere
nati, imò nihil, nisi

*Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Quæ pulcrum putat in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curas:*

Id verò prorsus esse preposterum & absurdum, atq;
adè etiam iniquum, & à paterna φιλοσοφίᾳ alienissimum. Conuenire enim & naturæ ipsi congruens esse,
vt possessor possessione multo sit & pretiosior & ca-
rior.

Quare iustissimè idem ille, quem dixi, Satyricus
Poëta de hac parentum stultitiæ dicam, an insania,
& in proprios liberos iniquitate & tantum non tyrā-
nide queritur, hancq; ipsorum summam peruersi-
tatem grauissimè accusans, putantium, omnes illos
sibi perire & pessimè collocari sumtus, quos in libe-
rorum diligentem educationem & in scholis infor-
mationem impendant,

*Balnea, inquit Satyra 7. sexcentis, & pluris porticus, in qua
Gestetur Dominus, quoties pluit; ànne serenum
Expectet, spargatq; luto iumenta recenti?
Hic potius, namq; hic munde nitet vngula mula.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & argentem rapiat cœnatio Solem.
Quanticunq; domus, veniet, qui fercula doctè
Componit; veniet, qui pulmentaria condit.*

Hos

*Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Vt multum duo sufficient. Res nulla minoris
Constabit patri, quàm filius.*

Quàm grauis, quàm vehemens, quàm seria, & quàm
tristis, sed quàm, prò dolor, vera & iusta est hæc Poetæ
de peruerso plurimorum parentum iudicio & insti-
tuto, de quæ liberorum, qui tales nacti sunt parentes,
extrema deploranda quæ infelicitate & certissima
perniciæ indignatio, conquestio, & exclamatio!

Et si autem paullo antè citato loco Poeta disertim
ad parentes, non ad præceptores, suam illam saluberrimam
refert dirigit quæ cohortationem; tamen, cum
post parètes, nemo discipulis vel sit propinquior, vel
esse debeat carior, quàm præceptores, vt præclare scri-
bit Magnus ille Basilius, cui ob summam pietatem,
doctrinam, & eloquentiam, honorificum hoc Magni
cognomen meritò est inditum, in aureo illo & non
vna tantum, sed ter quæ quater quæ & amplius repeti-
ta lectione dignissimo sermone seu ὁμιλία πρὸς τοὺς
θεοὺς, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων; cum quæ pa-
rentes corporis tantum, præceptores verò etiam ani-
morum sint formatores & quasi πλάσαι, non incom-
modè, nec præter rem, & instituti nostri rationè, mo-
dò recitati versus ad fidelis & industrij præceptoris
officium accommodari, & leui παραδίξ in eam senten-
tiam flecti poterunt & mutari.

Et profectò, Ornatissimi auditores, si verum ama-
mus & fateri volumus, nullum est sub hoc Sole, homi-
num genus & ordo, qui præclariùs de toto humano
genere mereatur, quàm fideles & industrij iuuentutis

scholasticæ Doctores & Governatores, hoc est, quàm
ij, qui Epicharmi Poetæ exemplo in id incumbunt,
atq; in eo elaborant, vt τοῖς παισὶ χρήσιμα ποττὰ μὲν ζωῶν
πολλὰ εἴπωσι.

Venit mihi hîc in mentem id, quod nuper in libri,
quem Fasciculum temporum vocant, autore, quis-
quis tandem ille fuerit, cùm legissem, silentio nunc
præterire, eò quòd ad id, quo de agimus, pulchrè qua-
drare videatur, me non debere existimavi. Illius er-
go, sub finem ferè iam dicti Fasciculi, hæc sunt hac
de re sanè graua, emphatica & verissima ac memora-
bilia verba; *Causa*, inquit, *humanæ malitiæ à doctis viris*
multiplex assignatur, inter quæ non minima est, quòd parentes fi-
lios non educant disciplinatè, sed permittunt eos ad placitum des-
licijs affluere. Petulantia igitur, cùm ex consuetudine in naturã
transierit, nec erubescere, nec timere potest. fitq; ceruix dura, do-
nec paupertate, bellis, laboribus, & alijs tribulationibus mollescat
attrita. Flagellum ergo sibi præparat, qui filios non castigat. Hæc
ille certè ἀξιόλογα & ἀξιόμνημόνευτα.

Quare etiam non iniuria idem, quem suprâ citaui,
Iuuenalis, eadem Satyra 7. summam maiorum & pru-
dentiam ac diligentiam in instituenda sobole sua, &
gratitudinem erga benè de liberis suis meritos præ-
ceptores, prædicat & extollit, pijsimoque & grauita-
tis ac δεινότητος plenissimo voto & comprecatione or-
nat & commendat,

Dij maiorũ vmbriis, inquit, tenuẽ & sine pondere terram,
Spiranteisq; crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Metuens virgæ iam grandis Achilles

Cantabat

Cantabat patrijs in montibus, & cui non tunc

Eliceret risum citharædi cauda magis? ri?

Quid enim obstat, quò minus, sicut Virgilius ex Ennii poematibus, tanquam ex stercoreibus, gemmas se & aurum colligere & in suum commodum asseruare aiebat; ita nos quoque ex Iuuenalis, poetæ alioqui, ut, quod res est, ingenuè fatear, sæpè nimis obscœni, & sæpè nimis Latinè & propriè loquentis Satyris, instar apicularum ex noxijs etiam herbis & floribus amarissimis spinisque asperrimis, lenissimum optimumque & saluberrimum mel sugentium & conficientium, hos & similes sententiosos ac memorabiles versus colligamus, & in usum nostrum tanquam fragrantissimos flosculos tempestiuè decerptos, suo loco usurpemus?

Quamobrem cum vos, vos, inquam, lectissimi, optimi, & eruditæ pietatis, piæque eruditionis studiosissimi iuuenes & adolescentes, verè sitis & dicamini amoenissimus quidam, pulcerrimus & vberimus Dei omnipotentis hortus & fœcundum seminarium, ex quo ille suo tempore, pro gratuita sua bonitate & sapienti cõsilio, plantas suas, vos nimirum, hortulanorum suorum, hoc est, præceptorum vestrorum cura, opera & labore feliciter plantatas rigatasque, ipsoque coelitus incrementum dante, ad iustam maturitatem & optatum fructum eductas, ad Ecclesiæ suæ & Reipublicæ, Scholarumque collectionem, cõseruationem, gubernationem, exædificationem atque amplificationem, decusque & ornamentum transfert & propagat: quis non videt, quantò hæ plantulæ & quasi
pro-

propagines, Deo sunt gratiores & commendatiores, quāto pretiosiores, quanto ad gloriam Dei, & totius humanæ societatis vtilitatem fructuosiores & magis necessariae, tanto etiam eorum operam, studia, & labores meritò omnibus esse debere gratiores & venerabiliores, qui plantulis hisce benè inserendis & defigendis, & salutari pietatis & eruditionis succo fideliter & assiduè rigandis & humectandis, vt ad iustam tandem maturitatem, per Dei gratiam, adolescant, se totos consecrant, & in hunc finem omne vitæ suæ curriculum dirigunt & destinant.

Qui verò sunt hi, nisi illi ipsi, qui cum Epicharmo poeta (mirificè enim delector & recreor frequēti cogitatione & cōmemoratione huius præclarissimi eelogij) in scholis præcipuè, τοῖς παισὶ χεῖσιμα εἰπεῖν πολλὰ ποτ' ἄρ' ζωᾶρ satagunt?

Hoc de excellente aliquo philosopho sic commemoratum, minùs fortè mirum multis videri possit; at de Poeta tam amplum, tamque veræ laudis plenum ferri publicè testimonium, id verò τῶν πάνυ παραδοξοτάτων καὶ ἀτοποτάτων ἐρ εἶναι non pauci proculdubio iudicauerint.

Et tamen, cū res ipsa, & publicè Epicharmo à Syracusanis positum hoc, quod iam sæpè recitavi, ἐπιγραμμα palàm testetur & confirmet, suum quoque vt sic loquar, quasi talentum, suamque symbolam Epicharmum poetam sua Poesi ad hoc tam præclarum, tam vtile, tam necessariū, tam laudabile opus, nimirum πρὸς τὸ τοῖς παισὶ χεῖσιμα πολλὰ ποτ' ἄρ' ζωᾶρ εἰπεῖν, contulisse: nihil causæ video, cur eos, qui etiam hodie in

die in scholis ad eundem scopum collineant, omnesque suos labores & curas ad iuuentutis scholasticæ utilitatem, suo quisque loco & ordine referunt, suæ conditionis vitæq; generis, suique instituti pigrescere & poenitere debeat.

Porro hunc in scholis scopum cum alij alijs contingere studeant modis, pro scientiarum, artiumque & linguarum, quibus se quisque ex docentium numero, pro concessa sibi per Dei benignitatem facultate, dedit, diuersitate; & verò Deo Optimo Maximo, soli sapienti totius huius rerum Vniuersitatis auctori & iustissimo moderatori ita visum fuerit, ut in hanc scholam reuocarer, & in hanc cathedram restituerer, ut meam quoque qualemcunque opellam & tenuem quasi collectulam *πρὸς τὸ τοῖς παισὶ χρεῖμα πολλὰ ποτὲ τὰρ ζωὰρ εἰπεῖν τε καὶ ποιεῖν*, in commune conferrem, & Poëtarum, quorum diligens lectio liberaliter educatis & amplioris doctrinæ cupidis ingenijs, si non ad optimi, saltem ad mediocris scribendi carminis facultatem, & ad virtutis sapientiæq; & eruditionis studium utilis sit & accommodata, interpretatione mea explicandorum prouinciam in me recipere: etsi meæ mihi cum in hoc, tum in alijs quoque studiorum generibus, non mediocritatis solum, verum etiam tenuitatis optimè essem & sum conscius, ideòque munus hoc alicui, qui & vberiore cum discipulorum fructu, & maiore huius scholæ cum dignitate obire illud vellet possetque, multò mallet impositum, tamen memor plurimorum & maximorum ab Illustrissimis Principibus Palatinis, Electoribus, Friderico III. Pio,

C & eius

& eius filio Ludouico VII. quorum memoriam cum amore & reuerētia vsurpamus, ab & Electoralis Palatinatus administratore, Iohanne Casimiro, Domino nostro elementissimo, ab hac item Academia, beneficiorum in me iam ab annis ferè duobus & viginti colatorum, in primis verò honestissimi huius & mihi meritò gratissimi & iucūdiffimi de me iudicij, nolui, nec verò debui, diuinæ huic legitimæq; & honestissimæ vocationi morosius & superbius refragari, iudiciumque, potiùs modestiæ & obedientiæ, gratique erga optimè de me meritos animi, quàm præcipuæ alicuius eruditionis, & ad hanc Poëtarum interpretationem dexteritatis & aptitudinis, laudem & commendationem, in suscipienda hac prouincia, mihi spectandam esse & amplectendam.

Quod ergo Deus benè vertat, existimaui, me & rectè atque ordine, & ex re atque vtilitate auditorum, Poeticæ facultatis amantium facturum, si hoc mihi publicè demandatum & impositum munus, ab explicatione eruditissimi siue libri, siue epistolæ sapientissimi & elegantissimi Poëtæ Horatij, quæ exstat ad Pisonem de Arte Poëtica, auspicerer, utpote in qua ille pro acutissimo rectissimoque suo de hac *ἑρμηνεία* iudicio, pleraque omnia, quæ cuiuscunque generis carmen & poëma scripturo, in primis scitu & obseruatu vtilia sunt & necessaria, tanquam in tabella ante oculos proposuit, & grata ac conueniente breuitate est complexus, secutus hac in re suum ipsius vtilissimum & in docendo conuenientissimum, in hac ipsa traditum epistola præceptum;

Quidquis

Quidquis precipies, esto brevis, ut citò dicta

Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Est quidē, fateor (quis enim manifesta negarit?) est hoc Poëticae facultatis & exercitationis studium, præsertim si ad summam & evidentissimā illam superiorum disciplinarum & scientiarum utilitatem, necessitatem, & splendorem comparetur, tenue, exile, humile, & maximam partem Grammaticum & Rhetoricū, & ut canit Maro, *In tenui labor*, atq; adeò non rarò plurimis huic deditis studio, ut iure queritur Martialis, in hoc, *sterili vita labore perit*, adeò ut, quemadmodum facetè quidem & hilariter, sed verè (ridentem enim dicere verum quid vetat?) in Poëtico suo iocatur Erasmus conuiuio, cùm eundum est ad macellum, sæpè non habeant tam Poëtæ, quàm aliorum quoque Philosophicorum studiorum sectatores, quod uxori vel ancillæ numerent, verba interim pro rebus & farina, ut dicitur, dantes, & vel suos aliorumve versiculos fortiter vel lectitantes, vel facientes, vel etiam suauiter & securè cantillantes, vel minutias & argutias philosophicas tractantes. Nam carmina laudantur, sed præmia iusta negantur, utq; probitas, sic etiam Poëtica & Poëtæ sæpè quidem commendantur & placent doctis & locupletibus, at acriter interim algent, ita ut non absurdè, nec immeritò in illos Plautinum illud dici & deflecti possit, Studetur, canitur, scribitur, legitur, atque *egetur acriter*; sed tamen sua quoque Poëtico huic & Grammatico constat studio & facultati dignitas ac præstantia, & ut idem Maro ait,

tenuis non gloria, si quem

C ij

Numina

Numina leua sinunt, auditq; vocatus Apollo.

Ac vt Medici de sua arte, & cura vel conseruandæ, vel recuperandæ bonæ valetudinis, rectè & prudèter mo-
nent, *Nihil esse paruum, nihil contemnendum*; sic mea hæc
est sententia, quam me non difficulter æquis & peris-
tis iudicibus probaturum spero confidóque, nihil in
omnibus hisce nostris Philosophicis exercitationi-
bus esse leue, nihil paruum, nihil contemnendum,
quod iuentutem scholasticam & bonas literas, vir-
tutisque & pietatis studia quocunque modo iuuare,
promouere & ornare possit, ideóque nos meritò etiã
Poëticam hanc facultatem non contemnere, negli-
gere, & insuper habere, sed Poëticæ superesse, hoc est,
suo quemque loco & ordine modóque Poëticam fo-
uere, exercere, contra iniquas imperitorum & male-
uolorum reprehensiones & morsus tueri, eius curam
& exercitationem liberalibus ingenijs sedulò com-
mendare, suumque ei inter alia honestarum & libera-
lium artium studia, in vita hac humana, & præcipuè
in Scholis, locum, honorem, vsumq; concedere & at-
tribuere debere.

Etsi autem nullius, nedum mea, sollicita, operosa
& proluxa commendatione magnopere eget hoc, de
quo agere instituimus, Poëticæ studium, vt quod se-
ipsum sua dignitate ac præstantia, varia item vtilita-
te, & mira quadam ac liberalissima honestissimaque
voluptate & suauitate, facillè sua sponte, sine vllis ex-
ternis verborum lenocinijs & pigmentis, vt aliarum
omnium ingenuarum artium, sic huius quoq; Poë-
ticæ facultatis excolendæ cupidis, ingenuéq; educa-
tis, &

tis, & non prorsus agrestibus ac ἀμύθοις ingenijs, satis
supérq; commendat; tamen, ne quis de improviso
& illotis, quod aiunt, manibus ad huius verè diuinæ
facultatis tractationem, & eruditissimæ epistolæ Ho-
ratiænæ interpretationem me non tam accessisse,
quàm irruisse existimare fortè possit; visum est mihi,
p̄ more scholarum, paucula quædam ad studiosissimā
hanc & optimam, aspectuq; iucundissimā iuuentutis
scholasticæ coronam breuissimè præmittere, quibus
huic, quam dixi, coronæ, hoc Poëticæ studium &
exercitationem, & Poëtarum præstantium lectionem
& explicationem, iam antè, vt nihil dubito, gratissi-
mam & commendatissimam, mea hac qualicunq; ac-
cedente cohortatiuncula, gratiorem etiam, si fieri
possit, & commendatiorem redderem, aut saltem pro
mei ingenij exiguo modulo reddere conarer.

Quemadmodum enim discipulorum auditorum-
que frequentia, & in audiendo discendoq; assidui-
tas, diligentia & attentio, mirificos sæpè docentibus
subdunt & addunt quasi stimulos & tacitas atque in-
credibiliter efficaces vrentesque flammæ atque ala-
critatem ad maiore fide, studio, labore, addo etiam
voluptate & promptitudine demandatum sibi docen-
di munus obeundum, in quam sententiam verè ceci-
nit Ovidius:

Excitat auditor studium, laudatq; virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet;

Ita vicissim, prudentes, tempestivæ, frequentes, se-
riæ, fideles, amicæ & blandæ, & nihil nisi discipulo-
rum salutem & commoda promouendi studium &

C iij cupi-

cupiditatem præ se ferentes, quæ sæpè & rectè in scho-
lis ad studiosam iuventutem instituuntur & suscipi-
untur nunc ad huius, nunc ad alterius scientiæ, pro re
nata, in bonis & docilibus mentibus in generandum,
exsuscitandum, inflammandum, & augendum, & ma-
gis magisque confirmandum amore cohortatio-
nes & bonarum artium commendationes, incredi-
bilem quandam vim habent, & acerrima quædam
sunt in bonorum & ingenuorum iuuenum & adole-
scentum liberalibus ingenijs quasi calcaria, quibus
haud aliter, atque tacita quædam & occulta, grata ta-
men optataque Magia sic & ad reuerentiam erga præ-
ceptores, & ad bonarum literarum amorem, virtu-
tisque & pietatis studium, bona & liberalia ingenia
excitantur, vt, quod iam antè non iuuiti, nec instre-
nuè faciebant, id ipsum, auditis rectèque apud ani-
mum suum expensis huiusmodi cohortationibus,
deinceps libentiùs, alacriùs, & constantiùs etiam fa-
ciant.

Tenuem ergo hanc & Grammaticam, ieiunamque
dum ad te, studiosissima atque optima iuuentus, dirigo
conuertoque oratiunculam, peto, quæsoque, vt mi-
hi, vnus instar horæ audientiam non grauatè præste-
tis; ego vicissim, quoniam orationis elegantia non
possum, breuitate eiusdem vobis me probare conabor.

Ad dignitatem ergo & præstantiam Poëtici huius
studij quam paullo antè in prima commendationis
parte posui, quod attinet, plurimis ea manifestissi-
misque indicijs & argumentis ostendi potest & demõ-
strari.

In his

In his principem meritò locum obtinet Antiquitas, quæ non huic tantùm, verùm etiam alijs ingenuarum artium studijs non leue ad veram solidamque commendationem, pondus, & momentum adfert. Nam quid antiquius ex vniuerso omnium ferè, quæ hodie exstant, Scriptorum Ethnicorum, ad quamcunque Philosophiæ partem pertinentium, numero proferri potest, veteribus illis Oraculorum responsis, quæ in plurimis diuersissimisque orbis terrarum partibus, licet superstitiosa & impia idololatria (de ea enim nunc non agimus) & tristi ac deploranda hominum cœcitate, ignorantia atque etiam dementia, consulentibus data sunt?

Ea verò pleraq; omnia non prorsà seu soluta, sed ligata & certis astricta numeris & pedibus oratione, & quidem heroico hexametro ferè carmine, quod inter cetera carminum genera primas obtinere videtur, concepta sunt & pronunciata.

Hinc manifestò liquet, cum oracula hæc cuius hominum, qui ea consulerent, generi reddita sint, iam tum inde vsq; ab vltima rerum ethnicarum, quæ quidem literis mandata & descripta ad nos peruenerunt, memoria publicè & faciendorum & intelligendorum versuum rationem modumq; ideòque Poëtices hoc, de quo agimus, studium, non notum tantùm, sed vsitatum quoque & gratum probatumque fuisse.

Exemplis, quod dico, confirmare & demonstrare velle, puto neque necessarium nunc, neque etiam esse tempestiuum. Celebrantur enim in primis, vt videre

dere est apud Herodotum, Thucydidem, Senecam, Gellium, Macrobius, Suidam, aliosq; tam Latinos quam Græcos Historicos, Poetas, Oratores, Philosophos & Grammaticos, tria oracula, Dodonæum in Epiro, Delphicum Apollinis in Phocide, quod maxime frequentabatur, & Iouis Ammonis in Africa.

Ex his Dodonæum in Græcia primum esse usurpatum fertur circa Olympiadis trigessimæ quintæ annum primū, q̄ tempus incidit in annū Mundi 3325. & finē ferè regni Iosia Regis Iudæ, cū apud Iudæos clari iam essent Ieremias & Sophonias Prophetæ, apud Græcos Thales Milefi⁹, primus Physic⁹ Philosophus, & Romæ regnaret Ancus Martius III. Romanorū Rex.

Ceterū his ipsis oraculis multò etiam antiquior est Olympiadum & ludorum ac certaminum Olympicorum ratio, quæ maxima Græciæ totius frequentia & concursu, post exactum quartū quemq; annum, in principio quinti celebrabantur, vt quorum initiū à Chronographis & Historiographis refertur & collocatur in Ioatham Regis Iudæ annum secundum, qui fuit à condito mundo, 3187: post captam & eversam Troiam 408: circa quod tempus floruerunt in Iudæa Esaias & Michæas Prophetæ.

In his verò ludis, cū victoribus Olympicorum, & alij multi atque insignes honores ac præmia sint collata, & carmina quoque in eorum laudem ac gloriam decantata (neque enim Græci minus esse iudicarunt, in Olympijs victorem renūtiari, quàm Romani triumphare) non obscure hinc quoque, huius exercitationis & studij antiquitas deprehenditur.

Licet

Licet eadem dicere de Sibyllarum fatidicarum virginum responsis & oraculis, quæ modò dictarum Olympiadum principio *αὐρχενοι*, & oraculis illis tribus sunt vetustiores.

Has decem numero, diuersis temporibus & locis fuisse, & Varronis autoritate, memorię proditum est, ex quibus eam, quæ Cumæa dicta fuit, post Troiana tempora, & ante Romam conditam amplius trecentis annis claruisse & carminibus oracula edidisse, vel ex Virgilij *Æneide* manifestum sit.

Erythræa Sibylla sic ab Asiæ ciuitate Erythris, non longè à Chio, appellata, floruisse comperitur circa annum mundi 3223. temporibus Ezechia Regis Iudæ, circa quod ipsum tempus Roma quoque condita existimatur, Olympiadis nimirum septimæ anno primo, annis post excidium Troiæ 430: ante natum Christum 750.

Alia Sibylla cognomento Herophila, in Samo insula, nobilis & clara exstitit circa annum mundi 3300. temporibus Manassis, Amonis, & Iosia regum Iudæ, & tertij Romanorum regis Tulli Hostilij.

Hanc Herophilam iam, vt anum decrepitam & ignotam (licet alij hoc ipsum de Sibylla Cumæa narrent) venisse Romam ferunt sub Tarquinio Prisco, Romanorum V. vel, vt quidam tradunt, sub Tarquinio Superbo, VII. & vltimo Rege, tres secum oraculorum seu vaticiniorum adferentem libros.

De horum Sibyllinorum librorum origine, mirabilia referuntur, quæ studiosi legent ipsi apud Gellium libro I. *Noctium Atticarum*, & Dionysium Halicarnasense

D nasense

nasseum libro Antiquitatum Romanarum quarto,
& Suidam. Ac dicuntur hi libri superfuisse adhuc Ho-
noriij & Arcadij Imperatorum Romanorum tempo-
re, sed à Stilicone seditionem tunc mouente exusti.

Hæc porro Sibyllarum responsa & oracula multis
comprehensa, & descripta compactaq; linteis libris,
quanta religione, cura & solitudine, quantisque &
quàm solennibus ceremonijs, quantisque sumtibus, à
priscis illis Romanis fuerint asseruata, quantoque in
pretio habita & autoritate, in quàm grauibus sæpè
Reipublicæ negotijs & deliberationibus inspecta &
vsurpata, notius est ex historijs, quàm vt hoc loco pro-
lixius id à me commemorari sit necesse.

Harum verò ipsarum, quas dixi, Sibyllarum respō-
sa heroico item hexametro carmine comprehensa
fuerunt & interrogantibus data, quorum multa insi-
gnia & memorabilia atque admirabilia exempla, con-
tinentia verissimas certissimasque prædictiones non
tātum de Imperiorum & Regnorum huius terrarum
orbis mutationibus & euersionibus, aliisque insi-
gnibus euentibus, verum etiam de Christi in carnem ad-
uentu, doctrina, miraculis, morte, & resurrectione ex
morte, legent studiosi ipsi passim apud Lactantium
in Diuinarum institutionum libris, quibus etiam vti-
liter adiungent Plutarchi grauissimi & sapientissimi
Scriptoris libellum de Oraculorum defectu.

Oracula enim hæc tandem, Christo iam in carne
exhibito & palàm manifestato, paulatim deficere,
vilescere, & rarescere cœperunt, donec prorsus conti-
cuerunt, & sublata sunt.

Exstat

Exstat huius oraculorum defectus illustre apud Suidam in Augusto testimonium. Cùm enim Augustus Imperator, sollicitus, ut sit, de Imperij successore, facto sacrificio Pythiam Apollinis Delphici sacerdotem consulisset, quisnam post ipsum Imperio Romano potiturus esset, illa Imperatori his respondit verbis versuum similibus,

παῖς Ἑβραϊῶν κέλεται με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσειν
τόνδε δόμον προλιπέϊν, καὶ αἰδῆραυτίε ἰκέσθαι.
λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων,

hoc est, ut in Latinum elegantibus vertit his versibus Vitkindus noster;

*Me puer Hebraeus, superum rex, relinquere cœta
Hæc iubet, & ditis cœcas remeare sub umbras.
Ergo silens aris tu nunc abscedito nostris.*

Venit enim Christus, verus & æternus Deus, & Servator noster vnicus, in hunc mundum, ut destrueret opera Diaboli, inter quæ, licet libenter fatear, minimè fuisse postremam, hanc ethnicam & paganam, Oracula, hoc est, Diabolum ipsum, de rerum quarumcunque euentu & successu cōsulendi insanam & meritò deplorandam ac detestandam, publica tamen olim approbatione receptam consuetudinem; tamen nihil hoc ipsum nostro instituto derogare vel potest, vel debet, ut qui horum oraculorum fraudes, illusiones, ambiguitates, obscuritates, impietatem denique atque idolomaniam nequaquam probemus, sed contrà potiùs ex animo, tanquam ab ipso Diabolo, patre & fonte omnis mendacij profectam exsecremur; sed ex ijs Antiquitatem tantùm huius nostri studij com-

D ij mon-

monstrare, & ex antiquitate, dignitatis etiam ac præstantiæ aliquam commédationem, Poëticiæ facultati conciliare propositum nobis habeamus.

Ac poterat, meo quidem iudicio, hoc à nobis iam commōstratum huius studij vfurpati & exerciti tempus ad ostendendam eius antiquitatem sufficere, sed inquirenti mihi hac ipsa de re diligentius & diutius, longè etiam remotius & vetustius tempus sese offert.

Nam Berofus Babylonius, quo vix alius vllus exstat inter Ethnicos historiæ scriptor vetustior, libro Antiquitatum quinto scribit, temporibus Aralij, septimi Babylonæ Regis, quendam nomine Bardum apud Celtas regnasse, & suo seculo apud suos inuentione Carminum & Musicæ, iam tum celebrem & inclytum fuisse.

Hoc verò tempus incidit in ætatem Abrahami & Isaaci Patriarcharum, in annum mundi circiter 2070. Tradit etiam Eusebius circa tempora Ehud, Samgar, Debora & Barac Iudicum Israelis, claram fuisse fatidicam quandam feminam seu Sibyllam, Phemonoën dictam, cui etiam antiquissimum illud & maximè celebratum, ab Amphictyonibus Delphici templi foribus inscriptum apophthegma attribuitur, Apollinis Delphici siue filiam, siue primam sacerdotem, quæ carmen Heroicum inuenerit, & hexametris versibus oracula reddens, futura cecinerit. iam verò ex temporum mundi supputatione constat, iam dictos Israelis Iudices vixisse circiter annum mundi 2600: quo ipso ferè tempore Cadmus quoque literas & doctrinas ex Phœnicia in Græciam intulisse, & Thebas Bœotias condi-

condidisse, & solutam siue prosaicam orationem instituisse fertur, vnde liquidò euincitur, ligatam seu metricam iã antè in vsu publico viguisse orationem.

Antiquiorem sanè iam exposito, Poetici studij & exercitationis, & heroici carminis vsum, in ethnicorum scriptis ego quidem nondum reperi. Disertim autem dico, in *Ethnicorum scriptis*, eò quòd non tantùm Phemius, Homerus item & Hesiodus, licet antiquissimi & celeberrimi Poetæ, qui circa annũ mundi 3135. temporibus Elisçi prophetæ, & Azariæ Regis Iudæ, ante Olympiadum initium, & Romam conditam floruerunt, verùm etiam Amphion ipse, & Orpheus, & Orphei siue filius, siue discipulus Muscus, cuius hodieq; exstat de Erûs & Leandri amoribus Poemation Græcum, qui etiam primus, Gentilium Deorum Genealogiam versibus descripsisse perhibetur, & præter hos Linus quoq; Herculis magister, & Thamyras, & Gabrias, cuius exstant etiam hodie græcæ fabellæ Aesopicis similes, singulis tetraastichis, & iambicis Senarijs descriptæ, suprâ dictis Bardo & Pemonoe, tempore sunt posteriores, iisdemq; etiam recentior est Schola illa, quam Theseus, Herculis comes & amicus circa tempora Gedeonis Israelitarum iudicis, iuxta Parnassum Phocidis montem condidit, in qua Poetices & Mathematicum studia floruerunt, vnde fabulæ illius Poeticæ principium & occasio exstitit, qua Theseus vngula equi sui Pegasi, fontem Musarum, Hippocrenem postea dictum, in Parnasso aperuisse narratur.

Hos deinde secuti sunt, suis & ipsi temporibus cla-

D iij ri ac

riac nobiles poëtae, Arctinus Milesius, Cynethon Lacedæmonius, Cumelus, Archimus, qui Iliacam variationem descripsit, & sub initium conditæ Romæ claruit, Archilochus Parus, Poeta Iambicus qui teste Cicerone i. Tusculana, tempore Romuli, & Gygis Lydorum Regis vixit, vrbe tandem à Lacedæmonijs ob nimiam suorum Iamborum mordacitatem eiectus, Alcman Lydius, Poeta Lyricus, sub Anco Martio, IV. Romanorum Rege, Stesichorus Siculus, Lyricus etiã ipse Poeta, sub initium regni L. Tarquinij Prisci, Epimenides Cretensis, Poeta Epicus, vt ex D. Pauli ad Titum epistolæ capite i, intelligi perspicuè potest, idem ille, qui à patre Agiasarcho in agrum, pecoris custodiendi causa missus, in antro quodam annos 75. obdormiuisse, & circa principium captiuitatis Babylo- nicæ, sub Tarquinio Prisco, V. Romanorum rege claruisse fertur, deinde Sappho, Lesbia puella, & Alceus Mitylenæus, Parmenides, Hipponax, Hippius, Simonides Lyricus Poeta, & Anacreon, Pythagoras Samius, cuius $\chi\upsilon\sigma\alpha\epsilon\pi\eta$, & Phocylides Milesius, cuius item, vt & Theognidis Megarensis, Siculi, ethicum & sententiosum poema, omnium studiosorum manibus teritur, Epicharmus quoque Syracusanus, Siculus, Poeta Comicus, Pythagoræ discipulus, ille ipse, cui, vt à principio nostræ huius cohortatiunculæ monui, magnificum illud & veræ solidæq; laudis plenissimum, pos- situm est Epitaphiũ, τοῖς παισὶν χρησίμα πολλὰ ποττὰρ ζωὰν εἶπε; vnde etiam nõ sine causa & Plato summus philosophus, teste Laërtio in vita Platonis, & sequen- tibus temporibus cùm alij Romani homines, à Musis

non

non auersi, tum Tullius, optimus ipse quoque & Poëta & Orator, Epicharmi huius lectione magnopere delectati esse, & eius scripta sibi familiaria habuisse deprehenduntur. Nam Tusculanarum quæstionum libro primo vocat eum Cicero hominem acutum & non insulsum, eiusque de morte sententiam hanc recitat:

Α' ποθανεῖρ ἢ τεθνᾶναι οὐ μοι διαφέρα. Epistola quoque prima libri 3. ad Quintum fratrem ex Epicharmi huius sapientissimo & utilissimo præcepto, eum monet, ut antequàm in amicitiam aliquem recipiat, diligenter attendat, quo pacto ille cum veteribus amicis se gesserit, γινώσκει, inquit, πῶς ἄλλω κέχρηται.

Quintus quoq; Cicero Marcum fratrem in commentariolo de Petitione Consulatus prudenter monet, ut ἐπιχαρμεῖον illud teneat, *Nervos atq; artus esse sapientie, non temerè credere.*

Quam ipsam Epicharmi sententiam Cicero libro 1. ad Atticum, epist. 18. se in nouis amicitijs sequi, ostēdit his verbis; *Ita nouis amicitijs implicati sumus, ut crebrò mihi vaser ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam,* Νῆφε, καὶ μέμνησο ἄπισεῖρ.

Ἀρδραταῦτά τῶν φρενῶν.

Sed hæc παρέργως, quæ mihi elicuit Epicharmeius epitaphij recordatio. Ergo, ut ad institutum redeā, hi proximè cōmemorati poëte, ferè σύγχρονοι, & in magno fuerūt pretio, floruerūtq; circa tēpora Zorobabeli Iudeorum Ducis, circa expletę hebdomadis Babylonicę captiuitatis tempus, regnante Romæ Seruio Tullo, sexto & penultimo Romanorū rege.

Epi-

Epicharmum secutus est Pindarus Thebanus, Ly-
ricus Poëta, & Lyricorum apud Græcos, vt Horatius
apud Latinos, Princeps, nec longo pòst interuallo
Æschylus, Sophocles, Euripides *σύντροφοι*, Tragoedia-
rum scriptores, & aliquantò pòst Aristophanes, Co-
micus poëta, circa Nehemiæ apud Iudæos, & Hippo-
cratis Medici, Socratis item, Platonis & Aristotelis in
Græcia philosophorum, & Herodoti historiographi
tempora, annum scilicet mundi circiter 3530; deinde
sub Ptolemæo, Lagi filio, Ægypti rege, & huius filio
ac successore, Ptolemæo Philadelpho, Menander A-
theniensis, Comicus Poëta, Apollodorus, Callima-
chus, Theocritus Syracusanus, Aratus Solësis, Apol-
lonius, Rhodius dictus, licet Alexandriæ natus, Calli-
machi discipulus, circa annum Mundi 3700, denique
plurimi alij, quos nunc singulos nominatim recense-
re nimis prolixum foret & intempestiuum; qui licet
meritò etiam inter antiquos & præstantes comme-
morentur poëtas, vt interim nihil nunc dicam de La-
tinis poëtis, qui postea magno numero in Italia, tan-
quam ex equo Troiano, magna cum nominis sui ce-
lebritate, & propter Poëticæ facultatis excellentiam
commendatione, prodierunt, tamen ex hæcenus cõ-
memoratis, cuius sit perspicuum, longè esse Poëticæ
exercitationis & studij antiquiorem originem, quàm
vt vel ad posteriore loco iam enumeratos poëtas, vel
etiam ad ipsum Poëtarum omnium Principem Ho-
merum, à quo, vt rectè cecinit Ouidius, *ceu fonte perenni,*
Vatum Pierijs ora rigantur aquis, nedum ad Latinos poë-
tas, Græcis tēpore longè posteriores, Liuium scilicet
Andro-

Andronicum, Ennium, Nævium, Plautum, Cæcilium,
Pacuum, Accium, Terentium, Virgilium, Catullum,
Horatium, Ovidium, Tibullum, Propertium, aliósq;
qui non multò ante Christi natiuitatem floruerunt
tempore, poëtas sit referenda & restringenda.

Atque hæc de studij huius & facultatis Poëticæ vlti-
tima ac veneranda antiquitate, quæ meritò non leuè
sui amorem in adolescentum ingenuorum animis
ingenerare, fouere, & magis magisq; excitare debet,
dicta sufficiant.

Præter hanc ab antiquitate & duratione studij hu-
ius, desumptam, dignitatis atque excellentiæ probati-
onem, hoc quoque non leue, nec contemnendum
adfert decus & pretium Poëticæ huic facultati, quòd
non tantùm, vt antè ostēdimus, oracula illa toto or-
be celeberrima, Olympica item certamina, & Sibylla-
rum responsa, non alio, quàm certis astricto pedibus
& numeris, orationis genere, iam olim, sint descripta
& composita, verùm etiam, quod familiam hac in re
ducit, & vt ego quidem existimo, præcipuum & ma-
ximum robur ac pondus ad veram solidamque Poë-
tices commendationem adfert, quòd ipse S. sanctus,
multorum veterum Prophetarum, quorum opera,
mente, lingua & manu, pro inexplicabili sua sapiētia
& bonitate, ipsi placuit vt in promulganda & literis
consignāda, & ad posteritatis memoriā prodēda vera
de vera Dei agnitione & cultibus, æternáq; hominum
salute, doctrina, hoc est, vt vno rem totam verbo com-
plectar, in sacris Biblijs describendis, ita mentē, cogi-
tationes, linguam manumq; moderatus sit, vt pluri-

E ma,

ma, quæ ipsis consignanda, intrinseco instinctu dicta-
uit, ea illi nō soluta & libera oratione, sed metro seu
carminibus concepta & meditata, descripserint, & in
lucem protulerint.

Liber Hiobi Prophetę continet, vt inter omnes cō-
stat, nō tantūm historiam antiquissimā verūmetiam,
præter cetera, disputationem grauissimam de causis
calamitatum & crucis etiam piorum & innocentum
in hac vita. Nam Hiobus hic, cū incoluerit terram
Huius, quæ sita fuit in finibus Idumęæ, quæ pars est Ara-
bię Petręæ, existimatur fuisse Rex Idumęæ, ille ipse,
qui Genes. 36. capite nominatur Iobab filius Zarę, ac
non tantūm vixisse ætate Iacobi Patriarchę, 250. cir-
citer annis ante Israelitarum ex Ægypto exitum, cir-
ca annum mundi 2220, verūmetiam Dinam Iacobi
ex Lea filiam, vt Philo scribit, vxorem duxisse.

Hęc ergo tam venerandę vetustatis, tam augusta,
tam memorabilis historia & sacrorum Bibliorum nō
minima pars, teste D. Hieronymo in præfatione in li-
brum Hiobi, etiam carmine, & quidem Heroico hexa-
metro, descripta est. Verba Hieronymi hęc sunt, quę
quia lucis aliquid & gratiæ adferre visa sunt nostro
instituto confirmando, neque me recitare ea pige-
bit, neque, vt spero, studiosę iuuentuti, auditu erunt
molesta;

*A principio voluminis, inquit Hieronymus, vsque ad
verba Hiob, apud Hebręos prosa oratio est; porro à verbis Hiob,
in quibus ait; Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictū
est, Conceptus est homo, vsq; ad eum locum, vbi ante finem volumi-
nis scriptum est, Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam*
in fa

in fauilla & cinere; hexametri versos sunt, dactylo spondeoq; currentes, & propter linguæ idioma, crebrò recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis & tinnulus, fertur numeris pedum solutus, quod metrici magis, quàm simplex lector, intelligit. Hactenus Hieronymus.

Quid, quæso, illustrius, quid ad commendandam studij Poëtici dignitatem dici potuit magnificentius? Nec verò sola Hiobi historia, verùm etiam Moses ipse, vir Dei, cuius libri quinque, totius sacræ scripturæ fons sunt & initium, Moses, inquam, Dei immortalis laudes & beneficia cum alia plurima & maxima toti generi humano, in primis verò, electo & dilecto suo, quasi peculio, populo Israëlitico exhibita & præstita, tum mirandam ex seruitute & tyrannide Ægyptiaca, posteritatis Abrahæ liberationem, & per mare rubrum in terram 430. antè annis promissam, introductionem, carminibus, non libera oratione decantauit.

Reliqua etiam ferè omnia sacrorum Bibliorum cantica seu hymnos, Threnos item Ieremię prophetæ, metro comprehensos & conscriptos, idem Hieronymus loco paullo antè citato, ex Philonis, Iosephi, Origenis & Eusebij testimonio atque autoritate affirmat.

Psalmodum Dauidis, & aliorum Dei seruorum, quanta sit inter reliquos sacræ scripturæ libros Maiestas & autoritas, quanta præstantia, quanta ad omnes vitę casus utilitas, quàm vber & diues in iisdem omnis generis cōsolationū thesaurus, quanta deniq;

E ij quàm

quàm pia, quàm liberalis & sincera solidaque gratia,
suauitas & voluptas, apud omnes verè pios extra om-
nem est controuersiam, ac nō immeritò, omnibus
ætatibus hunc Psalmorum librum, quasi certatim,
vario & sermonis & elocutionis genere, omnes ferè
per totum sparsæ orbem, Christi Ecclesiæ, in suum v-
naquæq; vernaculum linguæ idioma transferre, eun-
demq; nocturna diurnaq; manu versando, legendo,
& relegendo, explicando item, & publicè priuatim-
que, & lætis & aduersis rebus, cantando, sibi quàm fa-
miliarissimum reddere studuerūt, & etiam hodie per
Dei benignitatem student.

Atqui hos ipsos quoque & Dauid, summus ille &
potentissimus Israelitarum Rex, vir secundum cor
Dei, & multi alij prophætæ & sacerdotes, diuersis tem-
poribus, carmine, non prorsus, solutâque elocutione
& ipsi in suos vsus descripserunt & decantarunt, & in
publicam omnium piorum coetuum vtilitatem euul-
garunt, nec hoc tantum, verum etiam ad suam illam
antiquam Musicen, nobis adhuc ignotam, accommo-
darunt, vt ex plurimorum Psalmorum inscriptioni-
bus patet, quò scilicet hoc modo summam vtilitatē
summa quoque gratia & suauitate condirent, & legē-
tibus commendarent. Sed de toto hoc carminum
metrorumque genere, in plurimis sacrorum Biblio-
rum partibus, motu instinctuque S. sancti, à Sanctis
Dei hominibus, cuiuscūq; & sexus, & ordinis, & ætatis
vsurpatorū, rectiùs certiusq; quàm à me fieri possit, alij
doctiores, & linguæ Hebrææ intelligentes, & in Poë-
tica facultate magis exercitati statuēt & iudicabunt.

Quare

Quare nemo Poëticum hoc studium & exerciti-
um, vt vile, & liberalibus ingenijs, & publica Schola-
rum approbatione indignum, reijcere prorsus pote-
rit & aspernari, nisi qui simul quoque & eadem ope-
ra, S. sancti consilium & in patefacienda nobis Dei vo-
luntate, doctrinâque de salute nostra, explicanda, per
certa metra & carminum genera vsurpatam in pluri-
mis sacrorum Bibliorum locis, elocutionis rationem
modumq; reprehendere audeat & improbare.

Tâm profligatæ verò audaciæ, petulantia, & impie-
tatis, inter eos præsertim, qui eruditæ pietatis studio-
si dici & haberi velint, spero confidóque, futurum ne-
minem.

Sed quid longinqua, & à Christianæ Ecclesiæ me-
moriam magis remota, Hebrææque linguæ ignaris ob-
scuriora, diutiùs cōsector, cum in propinquo & quasi
ad manum præstò sint alia, eaq; illustriora & mihi sal-
tem certiora notioraq; huius studij dignitatis & præ-
stantiæ indicia & argumenta?

Aratus Solensis poëta, cuius suprâ inter antiquos
Græciæ poëtas, fecimus mentionem, ornatissimis at-
que optimis versibus, teste Cicerone libro 1. de Ora-
tore, de cœlo stellisque dixit, exstatq; eius etiam ho-
die præclarum opus Astronomicum, quod & Iulius
Cæsar Dictator, teste Suida, & Germanicus Cæsar, &
Cicero adolescens, latino heroico hexametro carmi-
ne interpretati sunt, quorum posteriorum interpre-
tationis etiamnum leguntur fragmenta. Fuit enim
Cicero à prima ætate sua deditus Poëticæ, in qua, si
voluisset, etiam excellere potuisset, vtpote tanta in-

genij naturæq; felicitate, vbertate, & ad Poëticam aptitudine instructus, vt non pauciores 500. versibus per singulas noctes componere solitus sit.

Epimenides Poëta Epicus, Cretensis fuit, quæ gens & D. Pauli testimonio, & trito id comprobante pro uerbio, τρία κάπτα κάκισα, κρητες ἢ κᾶρες, καπτάδοκες, κίλιες, iam olim propter mendacia, vanitatem & leuitatem, vitæq; intemperantiam, ac gulæ ventrisq; studium, ignauiam quoque & inertiam, malè audiuit.

Menander Comicus, Atheniensis fuit, cuius fabularum quod fuerit argumentum, amatorium videlicet, ex Terentij Andria, Eunuchus. Heautontimorumenos, Adelphis, quas ille partim de Menandri græcis in Latinum conuertit, partim ad suum institutum accommodauit, cuius perspicuum est.

Quid ergo, dicat quis, nec fortè iniuria, D. Paulo, summo Apostolo & Theologo, negotij præsertim in rerum grauissimarum explicatione, cum ethnicis his profanisq; poëtis? nimirum tantundem, quantum, vt dicitur, cani cum balneo.

Et tamen is Actor. 17. in grauissima illa cum Epicureis & Stoicis philosophis, in Areopago, Athenis disputatione, & ad Atheniensem populum habita concione, qua eos hortatur, vt abiecta sua idolomania cui præter ceteras gentes populus Atheniensis erat addictus, Christum vera fide & pœnitentia amplectantur, hoc ex Arati φαυομένων principio hemistichium, τὸ γὰρ κωλύειν θεῶν ἐσμέμ. adducere & ad suum propositum accommodare non est veritus.

Ad Titum suum epistolæ capite 1. vbi quales Ecclesiæ mi-

siæ ministri sint eligendi, quales item fugiendi, præcipit, hoc Epimenidis Poëtæ, quem etiam Prophetam illic nominat, versu, tanquam idoneo testimonio, κερῆτες & εἰ ψεύσα, κακὰ δὲ κήρια, γαστέρες & ῥγαι, suam sententiam ornat & confirmat.

Prioris ad Corinthios epistolæ capite 15. agit idem de præcipuo Religionis Christianæ articulo, in quo summa & cardo salutis nostræ vertitur, de resurrectione corporum nostrorum & vita æterna.

Atqui in huius quoque tam arduæ, tamque cum rationis humanæ iudicio pugnantis quæstionis explicatione, monens Corinthios, ut à carnali securitate sibi caueant, nec se impijs profanorum hominum, Corporum resurrectionem & vitam æternam blasphemè negantium & irridentium iudicijs, sermonibus, conuictu & consuetudine ac familiaritate, in errores abduci, & à veritate ac certitudine doctrinæ ipsi antè traditæ abstrahi patiantur, hunc recitat Menandri poëtæ Iambicum Senarium,

φθείζουσι τὴν ἠθὴν καὶ ὁμιλίαι κακαί, hoc est,

Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

O verè auream, & omnibus bonis suæq; salutis amantibus, iuuenibus præsertim & adolescētibus, semper & sedulò obseruandam sententiam!

Ex tribus hisce Apostoli locis, nemo non videt, Poëtarum lectionem, ipsi familiarem fuisse & gratam.

Quare cum principem hunc Christi Apostolorum Apostolum, qui vnus plus ceteris omnibus, in disseminando per orbem terrarum Euangelio, laborauit, quem Christus ipse de cœlo testatus est, electum & carissimum

carissimum sibi esse organum, non piguerit, neque puduerit, Poëtas etiam Ethnicos non legere tantum, atque etiam ediscere & memoria retinere, verum etiã in maximarum rerũ tractatione, quasi testes idoneos, & sui instituti approbatores, citare; quid tãdem causæ adferemus, cur nos homunciones, hoc tanti Apostoli exemplum sequi, & Poëticam colere, exercere & magnificere, nostra, si Dijs placet, sapientia & eruditione indignum iudicemus?

Agite ergo, optimi & lectissimi iuuenes atque adulescentes, atque ad ea studia, in quibus estis, hoc quoque Poëticum studium & exercitationem studioso homine dignissimam, adiungite; quæ quidem mea cohortatio non hoc agit, vt cessantes vos hac in re excitem, sed potiùs, vt currētibus quasi calcaria addam; in quem sensum hos Ouidij elegantissimos versus libet nunc accommodare;

Nec te credideris, quia non facis, is tã moneris

Vela damus, quamuis remige nauis eat.

Qui monet, vt facias, quod iam facis, ille monendo

Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Vnum verò illud, quasi coronidis loco adijcio, omnibus nobis, cuiuscunq; ordinis & condicionis, in omnibus vitæ nostræ consilijs, actionibus, studijs, & *ἐπιγυροῦ* esse debere Sacrarum literarum pleniorẽ certiorẽque intelligentiam, & assiduam seriamque omnium rerũ humanarũ fragilitatis, miseræ & inconstantiæ, mortis denique meditationem, & æternæ celestisque vitæ desiderium; reliqua omnia *πάρεργα* esse, ideoque, vt omnium aliarum artium linguarumque studia,

studia, sic etiã hoc Poëtices exercitiũ, vni huic ἔργῳ iã
dicto, servire & quasi ancillari debere. Εὐός γάρ ἐστι χρεία.
Quod nisi facimus, meritò de nobis illud Agathonis
apud Athenæum, dicetur;

τὸ μὲν πάρεργον, hoc est, scripta ethnica, & huius vi-
tæ curam, ἔργον ὡς ποιούμεθα,

τὸ δ' ἔργον, hoc est, sacra Biblia, & salutis æternæ cu-
ram, ὡς πάρεργον, ἐκπονούμεθα.

Habebam, Ornatissimi auditores, multa etiam a-
lia, quibus studij huius dignitatem & præstantiam,
ampliùs etiam, liberalibus naturis probare & com-
mendare possem, quòd nimirum vniuersa ferè non
tantùm Philosophia, verùm etiam sacra Scriptura, &
olim, & proximè superiore seculo, & nostra quoque
ætate, à viris sanctissimis & doctissimis, vario carmi-
num genere est descripta; quòd omnibus ætatibus
summi & potentissimi Imperatores, Reges & Princi-
pes, Nobilissimi quoque & doctissimi Philosophi &
Oratores, maximo in pretio & honore Poëtas ac stu-
dium poëticum habuerunt, amplissimisque præmijs
condecorarunt; quòd instituendæ primæ pueritiæ
primum initiũ veteres & sapientissimi homines, non
à prorsã oratione & oratoribus, sed à ligata & nume-
ris pedibusque astricta elocutione & à Poëtis facien-
dum esse existimarunt, vt velex vno illo Ciceronis ad
Leptam epistolæ 19. libri 6. ad familiares loco liquet,
vbi, *Leπτα*, inquit, *suauissimus ediscat Hesiodum, & habeat in*
ore, τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρωτὰ θεοὶ παρὰ σοιθερ ἔδηκον.

Vt enim hodie, & quidem rectè, nostris liberis à
prima infantia, Catechesis seu præcipua Christianæ

F doctri-

que Principem, D. IOHANNEM CASIMIRVM, Tu-
torem, & Electoralis ad Renum Palatinatus Admi-
nistratorem, Dominum & Patronum nostrum cle-
mentissimum, verum Ecclesiae Dei & Scholarum nu-
triciam, omnibus & animi & corporis bonis indies
magis magisque ornare, & Spiritu Fortitudinis & Pru-
dentiae coelitus instruere ac corroborare, vt, exemplo
Seueri Imperatoris sit επιμελής τῶν πρακτέων, ἀμελής δὲ
τῶν περὶ αὐτὸ λογοποιεμένων, & vnà cum ipsius Celsitu-
dine, Optimi quoque patris, laudatissimaeque memoriae
Electoris Palatini Ludouici VII. filium vnicum, O-
ptimi aui, magni illius FRIDERICI III. PII, Ele-
ctoris item Palatini nepotem, optimique patris pu-
pillum, Generosissimum optimaeque indolis & spei
Principem D. FRIDERICVM, diutissime incolumem
ac florentem, & sancta in pace beatum conseruare di-
gnetur, quò nos sub ipsius Celsitudinis tutela & pa-
trocinio ac alarum vmbra, vitam piam tranquillam-
que degere, & suo quisque loco & ordine, vt vnde ex-
orsa est, in eodem nostra desinat oratio, Epicharmi
poetae laudatissimo exemplo ac imitatione, τοῖς παισὶ
χρήσιμα πολλὰ ποτὶ ἄρ ζωᾶν εἰπεῖν τε καὶ ποιεῖν, & serio con-
stanterque velimus, & diu ac cum publica priuataque v-
tilitate ad gloriam nominis diuini possimus.

DIXI.

IN

IM BEFEHLN
IN DER
DIESE



IN EFFIGIEM FRIDERICI
III. PII, COMITIS PALATINI RENO,
DUCIS BAVARIAE, S. R. IMPERII VII. VIRI
Electoris, benignissimi ecclesiae Dei nutricij, &
fortissimi ac constantissimi sinceræ religio-
nis Christianæ defensoris.

PArua tuos nobis, FRIDERICE, tabellula vuleno
Exprimit, at toto nomen in orbe viget;
Expeteris, coleris, laudaris, amare, Ducemq;
Exoptant similem curia, templa, schola,
Sed frustra non hoc ingrati crimina mundi,
Et spreto vera religionis honos,
Nec contempta tua meruit constantia mentis,
Et quod in inuidio pectore robur erat;
Præsentisque tui multis irrisa superbe
Cura Dei, & simplex cum bonitate fides.
Spernit enim incolumem virtutem vulgus & odit,
Sublatam ex oculis inuida corda probant.
Ergo tui desiderium FRIDERICE, manebit,
Sidera dum cælum, gramen habebit ager,
His, quibus est vera studium pietatis, & omnes
Sincera cupiunt mente cauere dolos;
Quin etiam, ruptis natura legibus, absint
Sidera si cælo, gramen & arbor humo,
Fractus & in nostrum caput illabatur ut orbis,
Inq; nouum redeant pontus & astra chaos:
Vis inuidæ tamen veri, laudosq; perennes
In terris viuent, Diue FRIDRICE, tuæ

Quodq;

Herr nach



deinem Willen.

Quodq̄, Palatina primus ditione tueri,
Occiduas Reni quā Nicer auget aquas,
Ausus es, atque illinc animis & pectore firmo
Spargere, totius quā patet orbis iter,
Dogma, suo Dominus cur & quæ symbola verbo
Addiderit, quo sint hæc capienda modo,
Et quæ Teutonice, duce te, teq̄, auspice, genti
Trisq̄ibus ex tenebris lux patefacta niter,
Pura, antiqua fides, pietas, sinceraq̄, Christi
Religio, humano non viciata luto,
Cuius in egregio non vllus corpore naus,
Et non vlla vsquam ruga senilis erat,
Illa, inquam, solidis verbi subnixæ columnis
Diuini, humane nil rationis egens,
Presidio firmata Dei, dextraq̄, potente,
Sumtibus & studio, Diue FRIDRICE, tuo
Sparsa per innumeras felici fidere gentes,
Quæ mundi vasto cunque sub axe colunt,
Palmæ instar, florebit ouans, immotaq̄, fructus
Optatos seclis, & sine fine dabit,
Nec, licet hanc contra Satanas conspiret, & omnis
• Heu nimirum Latio dedit a turba foro,
Cumq̄, fabro figulus, cum arguto pectine textor,
Et placidæ funem neclere doctus oui,
Gnarus & alitibus lapidosa obtrudere corna,
Dum bona se miseræ prendere grana putant,
Illinere & laqueo fallacem muribus escam
Callidus, vt lardi pinguis frustra petant,
Quidquam proficiet, viget, æternumq̄, vigebit.
Non nisi quod Christi numine surgit opus;

Vique

*Utque sua tandem frustrati speq; dolisq;
 Exsulum, flammis, flumina, vincla crepent;
 Dum fragili seuum quarent illidere dentem,
 Offendent solido, victa q; turba ruet;
 Invidia infelix, Satana frendente, reiectis
 Fraudibus, & mœstas dilaniata comas,
 Adspiciet toto verum splendescere mundo,
 Et cupiet sceleris pœnituisse sui;
 Sed cupiet serò. siquidem iustissima lex est,
 Artifices fraudum fraude perire sua.
 Sic erit, & stabunt summi decreta parentis,
 Pro lege & sancit quæ grege cunque suo,
 Ipse tuum cor edas, Satana scelerate, cruentis
 Unguibus & rumpas ilia, Fabre, licet.
 At nos hac quoties pictos in imagine vultus
 Adspicimus memores, Diue FRIDRICE tuos,
 Supplicibus dextris, lacrymisq; fluentibus, omnes
 Offerimus summo vota precesq; Deo,
 Gratuita nostri bonitate miserus vt orbi,
 Usque duces similes det, FRIDERICE, tui.*

Memoriam & honori Principis optimi &
 sanctissimi flens scribeb. idibus Mar-
 tijijs anni à nato Christo 1577.

EPITAPHIUM EIVSDEM.

*Hic FRIDERICE iaces Elector; cetera nôrunt
 Cum Nicro Tibris, Rennis, Iberus, Arar.*

Obijt placidissimè in Domino Eitelberga, 7. Kal. Nouemb^r
 circa 4. pomerid. anno Christi 1576.

G ILLV-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
ET GENEROSISSIMAE INDOLIS, MA-
KIMAEQVE ET OPTIMAE SPEI PVERO,
D. FRIDERICO, Comiti Palatino ad Renum, Du-
ci Bauariæ &c. LVDOVICI VII. Electoris Palatini fi-
lio vnico, FRIDERICI III. PII, Electoris Palatini
nepoti, Illustrissimi Principis D. IOHANNIS CASI-
MIRI, Comitis Palatini ad Renum, Ducis Bauariæ,
&c, Tutoris, & Electoralis ad Renum Palatinatus Ad-
ministrators Pupillo, & Electoralis ad Renum
Palatinatus heredi, Domino meo cle-
mentissimo S. D.

NOmen aui referens, Princeps FRIDERICE, paterni,
(Qui magno claros nomine vicit auos,
Et Gentilitijs insignibus addidit Ensem,
Quæq; est Imperij cum Cruce Sphæra decus,
Et Latij exstirpans mendacia vimq; Tyranni,
Nequiter incautas decipientis oues,
Præcipue numen fictum, idolumque Maorum,
Ausonij columen præsidiumque Papæ,
Quod venerans vulgi præceps dementia, clausum
Pollinis in tenui, præ pudor, orbe putat.
Asseruit meritos Christoque sacrauit honores,
Templa scholæque iubens vera docere suas.)
Magna Palatina spes & noua gloria stirpis,
Et SIMMERABAE tertia palma domus,
Magnorum pace & bello, sate sanguine Regum,
Ingenui vultus ingenique puer,

Hæc

Hæc tibi, quæ vatis culeissima metra **F A E R N E,**
Metra Venusinis æquiparanda metris,
Rebus plena bonis, verbisque polita disertis
Offero, clementi fronte manûque cape,
Et memor edoctis vsu parère Magistris,
Ter, quater, attentè lecta, relecta lege.
Parua quidem, fateor; sunt hæc tamen, Optime Principe,
Erga te studij pignora certa mei.
Phryx licet, Æsopus tenerum puerilibus annis
Ingenium potis est erudijsse tuum,
Et Sophiam præter, morum præcepta bonorum
In varijs vitæ casibus apta dare.
Ludicra subtilis sunt hæc figmenta cerebri,
Ast eadem menti ludicra grata bonæ,
Fortius ac melius magnas quæ sæpè secant res,
Seria quàm grandi & dicta seuera sono.
Nocturna, hæc præter, versareq; sueſce diurna
Scripta Dei iussu Biblia sacra, manu.
Inde petens lapsum & generis primordia nostri,
ΣΩΤΗΡ in Christo discito nosse Deum.
His prima historias iungens ab origine mundi
Discito magnorum fortia facta Ducum.
Et tua cum primùm matura adoleuerit ætas,
Virtute, eximios vincere discite Duces.
Nosse Deum, decus est & magni maxima virtus
Principis, at post hanc proxima, nosse suos.
Ut talis semper sis & **FRIDERICE,** voceris,
Discito nosse Deum, discito nosse tuos.
Sit **FRIDERICVS** auus veræ pietatis imago,
Sit tibi, matre animi, sit Generose puer;

G ij Et

Et patris exemplo LVDOVICI, templa scholasq;
 Munifica promptus disce fouere manu;
 Magnanimus, clemens, constans, sincerus amansq;
 Vt tibi commissi sis, FRIDERICE, gregis,
 Prisca tibi vt semper grauitas virtusque probetur,
 (Vindicat hanc genti Teutonis ora sua.)
 Quotidie exemplum prabet tibi patruus, ingens,
 Patruus & belli clarus & arte toga,
 Maternum referens qui nomine auumque paternum,
 Nunc aqua Reni lege tuetur aquas.
 Custode hoc mores tutor eque discere dignos
 Principe, te, magno, fata benigna sinunt.
 O re ter tali tutore quaterq; beatum.
 Verius hunc verum dixeris esse patrem.
 Virtutem ex tanto patruo, verosq; labores,
 Et patriae curam disce tenelle puer.
 Virtuti à teneris multum est assuescere verae,
 Et mentem studijs excoluisse bonis.
 Nunc igitur, nunc Dux Generose, puertia flores
 Dum tibi, dum pura est & tua testa recens,
 Maturè monitis mentem melioribus offer,
 Adbibe nunc puro pectore verba puer.
 Quo primùm imbuitur, semper noua seruat odorem
 Testula, siue bonus, siue sit ille malus,
 Nec facile eluitur, sed in imis partibus hæret,
 Quem semel hausserunt veller a pura, color.
 Viue, vale; seros lætum te seruet in annos,
 Qui nutu terras, qui regit astra, Deus.
 Sume etiam vultu, Princeps Generose, sereno,
 Quæ tibi, deuoto pectore metra fero.

PARUA

*Parua quidem, sed enim studijs puerilibus apta,
Nostra tibi melius nil dare Musa potest,
Ipsi grata Deo est simplex pauperq; voluntas,
Nec pretium, sed mens, munera grata facit.*

IIIX. Kalend. VII. breis, CIO. IO. XVC.

**AD IOHANNEM POSTHIVM.
POETAM ET MEDICVM**

CLARISSIMVM.

S Ponte sua, quæ vix vnquam sperare liceret,
Et nunquam fieri quæ potuisse, putes,
Attamen, arcano qui temperat omnia nutu,
Sic regit hæc mundi Rexq; Paterq; Deus,
Ut tandem eueniant, nobis mirantibus ipsis,
Tàm subiti quæ sit proxima causa boni.
Hæc mihi lecta prius, Vates doctissime **P O S T H I,**
Euentu cœpi discere vera nouo.
Sapè, tui tacitè demirans carminis artem,
Et metra, quæ placido molliùs amne fluunt,
Musica qui iungis secreto pectora nexu,
Da Deus, hunc, dixi, da mihi nosse virum.
Hac optata tenus nostro fortuna labori
A fuit, & celeres vota tulêre noti,
Nec studijs sociam dextræ mihi iungere dextram,
Nec licuit vultus, **L A N E,** videre tuos.
Facta mei tandem compos sententia voti,
Venit & antennis aura petita meis

G iij

Quaq;

Quaque tuos possem praesentis cernere vultus,
 Attulit optato Lucifer axe diem.
 Namque Palatinam Generosi in Principis aulam,
 Missa per antiquos sceptrata tuentis avos,
 Et sibi commissas Renu moderantis habenas
 Pro nuper functo fratre, vocatus ades,
 Hic ubi Panorij sedes antiqua Lycei,
 Otia Pierio praebet amica choro.
 At desiderio te ter vidisse quaterque,
 Crede mihi, potuit non satis esse meo.
 Coram ergo viuas audire & reddere voces,
 Et studeo Musis notior esse tuis.
 Vade age, dicebam tacitus mihi sapius ipsi,
 Et prior eximij limina vatis adi.
 Ipse tibi, moto pandet sua limina poste
 POSTHIVS; illius haec omina nomen habet.
 Candida magnorum sunt promptaque pectora vatum,
 Et redamant, Phoebe carmina quotquot amant.
 Talia voluentem, teque appellare parantem,
 Et timida blandas addere voce preces,
 Nescio quis metus, & (tu vera ignosce farenti)
 Rusticus impedit detinuitque pudor.
 Tun' rudis arguto strides coram anser olore,
 Et querulo fundes aspera verba sono?
 Hanc tibi maturè mutet sententia mentem,
 Ne lepidi fias fabula plena ioci.
 Quid miser incassum pergis sudare, studesque
 Non profecturo lictus arare boue?
 Ille suum meritò STEPHANVM colit, ille MELISSVM,
 Ille colit DOVZAE metra diserta sui,

CHY-

CHYTRAEI, BEZAE, IUSTIQUE poemata LIPSI,
FRUTERII, MODII, PALMERIIQUE sui,
Te quoq, IANE tua nuper GVLIELME LVBECAE,
Quem rapuit celeri mors inopina manu,
Cui multis merito vitam producere seclis,
Artis & ingenij nobilitate tui,
Ardua dum viridi moliris fortiter ævo,
Bis tria vix inueni viuere lusæra dedit.
His sese vates oblectat POSTHVS, horum
Assidua versat scripta diserta manu.
Te, similesque tui, extremos vix inter euntem,
Nec facili doctum claudere metra pede.
Negliget, aut spernet, nec doctis nobile Musis
Te sinet indocto limen adire gradu.
Has inter dubiæ mentis spes atq, tumultus,
Ecce venit votis aura secunda meis.
Namq, Machaonias tractans feliciter herbas,
Clarus & Aonia S METIVS arte lyra,
Fortè meas nuper cùm deflexisset in aedeis,
Quo, referens, esset Belgica terra statu,
Spontè tuis multam verbis mihi, IANE, salutem
Dicit, & optatam spondet amicitiam.
Hoc erat in votis, S METI doctissime, nostris,
Hoc dudum quæro fœdus amicitia.
Nuntius hic nosÆras ferijt gratissimus aureis,
Hunc numero optavi sæpè videre diem.
Ast animi tantum mihi non fuit hæctenus, huius
Vt prior auderem limen adire viri,
Et blandam præsens præsentem optare salutem,
Quæq, nouus facere & dicere suadet amor.

Iam

Iam mea cum teneant optatum carbasa portum,
Non dubijs timida puppe vagabor aquis,
Sed magni tandem dignatus amore Poëta,
Optato pergam lætus honore frui.
Tu nostris magnas, S M E T I dic optime, verbis,
(Quæ non tarda venit, gratia grata venit.)
Eximio grates Medico, magnoque Poëta,
Pro spontè oblato fœdere amicitia.
Accipio lætus, quod dat, studiùmque vicissim
Ipsi quo possim, quero, probare meum.
At prece tu blanda veteris persuasus amici,
Ista refer mentis nuntia signa meæ.
Hæc adeò, nuper quo mecum S M E T I V S vsus,
P O S T H I, sermonis summa modusque fuit.
Nec longo post hæc nobis occasio venit
Tempore, sed votis tardior illa meis,
Qua prius absentes inter qui cœperat, idem
Firmior est, fausto fidere, factus amor.
Namque tuæ coràm dextræ mihi iungere dextram,
Et licuit vultu colloquioque frui.
Ætherias ergo meus hic dum spiritus auras
Hauriet, & fragilis corporis ossa reget,
P O S T H I, Castalidum vates gratissime turba,
Hæc memori semper condita mente geram,
Et quibus officiis poterò tibi cunque placere,
Obsequio cernes esse parata tuo.
Promta mihi semper fuit & sincera voluntas,
(Invidia hoc liceat dicere & absque metu.)
Et dulcèis erga semper durabit amicos,
Sit licet, & fuerit res mihi curta domi.

Hanc

Hanc in amicitia cepta constanter eandem
Polliceor Musis, candide IANE, tuis.
Hanc tibi re cupio potius factoque probare,
Quam dubia vanus commemorare fide.
Hanc candore tui confisus pectoris ipsam
A te posco. esto par amor, aequa fides.
Qui mare, qui terras, qui nutu sidera flectit,
Efficiat, quò sint hæc rata vota, Deus,
Et Duce sub magno multos feliciter annos,
Nos sinat hinc laudi dicere grata sua.
A primo (fateor, vernantis flore inuenta,
Nosse fuit doctos maxima cura viros,
Præcipue ingenij quos scirem diuite vena
Funderè Pierijs carmina culta modis.
Pars horum viuo, coràm mihi cognita vultu,
Sapè dedit Musis otia grata meis;
Pars non visa mihi, sed claro nomine nota,
Erudijt scriptis carmina nostra suis.
CHYTRAEVM vidi, BEZAM, nostrumq; MELISSVM,
Quiq; habet à nigro nomina clara solo,
Et, quo se victrix Germania iactat alumno,
Te Camerariadum, magne IOCHIME, decus,
Et docta VRSINVM nulli pietate secundum,
Sollertem argutis scribere metra modis,
Et te, cui priscis orto, VVIDEBRAME, Nariscis,
Mite fuit placida pectus adinstar ouis,
Et te nominibus mihi coniunctissime multis,
Herminij nomen qui, VVITEKINDE, geris,
Doctrina, ingenio, canæ gravitate senectæ,
Exornans nostræ pulpita clara scholæ;

H SCHOB-

SCHOSSERVUM cum CASELIO, IANVMQ; BOCERVUM,
 FRISCHLINVM, & vultus, culte SABINE, tuos,
 HENRICVMQ; tuum STEPHANVM, IANVMQ; IOCHIMVM,
 Congrua qui rebus nomina MAIOR habet,
 Quiq; elegos calles, GELDORPI HENRICE, suavis,
 Et mira argutos dexteritate sales,
 Et magno celebrem VINCENTI nomine PETRVM,
 Teq; ingens patrie fama, XYLANDRE, tue,
 IANVM POSSELIVM, merito quo gaudet alumno &
 Vate, Megalburgo subdita terra Duci,
 Et te, qui docto doctis, MOLLERE, probaris
 Carmine, cui patrium est Hassica terra solum,
 Et te DAVIDIS generum, FREDERE, CHYTRAEI,
 Varnus ubi tardas in mare voluit aquas,
 Te quoq; Burgundis, BOSSARDE, in montibus ortum,
 Qui vates simul & pictor es egregius,
 Quiq; sacros inter DAVID censere Poetas,
 Maxima Pannonijs spes, SIGEMVNDE, soli,
 Et te, quem nostro, STENI dilecte, Lyceo,
 Iam studijs socium dant pia fata meis,
 PONTANVMQ; meum, & primis mihi cognitum ab annis
 CLEMENTEM ACHTFELTVM, VESPASIVMQ; meum.
 Hos praeter vates, Musis & Apolline dextro
 Cernitur en oculis POSTHIVS ipse meis.
 STIGELIVM cum FABRICIO, vatemq; SIBERVUM,
 Te Clarij columen, docte MICYLLE, chori,
 LOTICHIVM PETRVM, quo vix praestantior alter
 Inter, quos genuit Teutonjs ora, viros,
 Siue elegos molleis pleno depromere fonte,
 Siue epos heroo grande sonare modo,

Immo-

Immodico vatis nisi forte ego fallor amore
Vel tarda ingenij simplicitate mei.
Huius sepe auidè peruoluens carmina, dico,
Æmula Lorichij Musa, Tibulle, tua est,
DOVZAMQ, Archilochopuris qui certat iambis,
Et, me si certes iudice, victor abit.
Illum dentato rabies armârat iambo,
Plenaq, mordacis pectora fellis erant;
Moribus huic placidis & molli pectus iambo
Phœbus & Anides erudiere Deæ,
NICOLEVM quoq, REVSNERVM, quo fortis alumno
Vateq, se iactat Slesica terra suo,
Et cum CODICIO MEISTERVM, quemq, Bohemis
Proxima, BERSMANNVM Misnia clara tulit,
Nec non ELIAM CORVINVM, vbi clara Vienna
Mœnia precipiti protegit Ister aqua,
PAGANVMQ, PETRVM, celsa qui Martis in vrbe
Hassiace cecinit carmina docta scholæ,
Et vix credibili mira q, GEORGIUS arte
Qui canit Vngarico carmina CAESAR agro,
Et quos iam celebri tantùm mihi nomine notos,
Hoc nequeo cunctos commemorare loco,
Fata meis semper nimiùm contraria Musis,
Et rarò votis fata benigna meis,
Non me siuerunt viuo cognoscere vultu,
Mutuaq, alterna verba referre vice,
Et certa pignus fidei coniungere dextram,
Et coràm salue & dicere dulce vale.
Nec tamen hoc vnquam cepto me auertere cursu,
Nec potuit studium deminuisse meum.

H ij Semper

Semper enim doctos praesens absensq; Poetas
Et colui, & superat dum mihi vita, colam.
Ingenium sic est nostrum. placet? utere mores
Hos immutabunt tempora nulla meos.
Ergo age, Pieridum & Phœbi, doctissime POSTHI,
Magnaq; Pæonij gloria, IANE, chori,
Me dulcibus etiam promptus refer inter amicos,
Et timidas læta suscipe fronte preces,
Quaę fero tenui deducta poemata filo,
Hæc tibi sint studij pignora grata mei,
Et quo te nondum visum venerabar, amoris,
Et tibi quæ docto pectore mætra fluunt.
Sic tibi det succos semper miscere salubreis.
Sic faueat Musis dexter Apollo tuis.

V. Kalend. II X. breis, CIO. IO. XVCI

AD IANVM DOVZAM,
NOROVICI DOMINVM, POETAM
INGENIOSISSIMVM, ET EQVITEM
fortissimum, amicitiaę incun-
dæ ergò

ODE EX PVRI IAMBIS.

Quid hoc, quid esse, IANE prodig' I putem,
Poëta nobilissime,
Grauique, DOVZA, Marte miles inclyto
In vrbe vise LEIDICA,

Fameq;

Fameque quam diuq̄ pestilentia,
Et hoste pressam Iberico,
Maliq̄, quod fuit caput, domestici
In vrbe factionibus,
Tumultibusq̄ ciuium grauissimis,
Propè hostium libidini,
Luporum & insolentia rapacium
Tyrannidiq̄ traditam,
Ab imminente iam necis periculo,
Miserrimaq̄ sanguinis
Profusione, vastitate & horrida,
Maloque inexplicabili,
Genlingen lq̄ prospera tui alite,
Fide, arte, diligentia,
Tuisq̄, IANÈ, maximis laboribus,
Bona Dei fauentia,
Tuiq̄, DOVZA, claritate nominis,
Tuaeq̄ laude cum domus,
Reiq̄ gratulatione publica,
Suauiusq̄ cantibus,
Et ad sacrata supplicationibus
IOVAE potentis atria,
Fremente, liberaisti, Iberico agmine;
Opem & stupente numinis,
Simulq̄ liberatam, honore maximo,
Et approbato ab omnibus
Bonis pijsq̄, publicæ & nouæ scholæ,
Beati, & omnibus, quibus
Potes, beare pergis impiger bonis,
Scholasticisq̄ præmijs;

H iij Quid,

Quid, inquit, quid esse prodig' I putem,
Tos vnus inter agmina
Quod optimorum Apollinis clientium,
Dearum & Hippocrenidum,
Vel hæc tulêre nostra quos, vel ENNIVM.
Secuta casca secula,
Repente, NORDOVICIO ortus aere,
Borea & in Batavia,
Et ad furentis vsque ransa fluctibus
Maris vaga æstuaria,
Apollinem & Nouensiles apud Deas
Choro stupente Musico,
Sacro feris micantia astra vertice,
Iugumq; victor occupas
Sacri biuerticisq; montis, vberes
Lacus & Hippocrenidum?
Enim quis vnquam (huic sed, inuidentiæ
Et arrogantia absiet,
Vocabulo procul sinistra opinio)
Necessitate tam graui
Metri illigauit ipse sese Iambici,
Chalybdicisq; vinculis,
Iambus vnus vt loca omnia occupet,
Fugetq; ceteros pedes,
Et ampla condidit tamen volumina
Iambicantibus modis
Meris vbique, & his simul suauiter
Fluentibusq; molliter,
Suauiter sonantibus, suauiter
Terentij Afri, & Accij,

Hora.

Horatijq, Pacuul atque Publij
Syri, Catulli, & Ennij,
Ticinnijq, Cæciliq, Naviij,
Polistoris Terentij,
Tuaq, Farsinas acute, fabula,
Tuiq, Naso, carminis,
Tibulli, & his simul Propertij, grauis
Maronis, atque Persij,
Et Attici oris Arbitri Petronij,
Nimis sed ore libero,
Vetustiorum & vsqiam poëmatum
In orbe quidquid est super,
Venusta, peruetusta & elegancia
Vocabula atque formulas
Locutionum, & affabrè æmulantibus
Poëticæ artis abdita?
Profectò in orbe nullus hoc, velis modò
Mibi acquiescere arbitro.
Ut ergo lina primùm Iambici tua
Metri mihi volumina
Videre contigit Dei fauentia,
Referta liberalibus
locis, & vndique Atticis leporibus,
Batavici decus soli,
Et eruditione, DOVZ A, & ingenij
Politiors vberè,
Quibus se Apollo cum nouem puellulis,
Sororibusq, Gratiis
Tribus, subinde montis in cacumine
Binomino & biverice,

Lacusq,

Lacusq; fonte Theſſij ſacerrimo,
Ioue approbante, recreat;
Nouo ſtatim ſtupore tactus, & tui
Metri ingenſq; gratia,
Tàm amabiliq; captus elegancia,
Recente & igne ſaucius,
In hæc, quaſi inſonatus, ora maximo
Reſoluo verba gaudio;
Quid hoc? quis iſte tàm potens poëticus
Vigorq; mentis è vde?
Ab vltimo aduolauit Hippocrenidum
Iugolacuq; virginum,
Sali & ſoli æſtuaria ad Batauici
Procul remota, pectoris
In intimos repente DOVICI ſinus?
Quid hoc, nouæ quid hoc rei?
Catullus ipſe cum Marone, Horatio,
Terentio, Propertio,
Tibullo & Attio, Arbitro & Petronio
Et vniuerſus omnium
In arte quondam apud vetuſta ſecula,
Poëtica celebrium
Chorus virorum, & elegantis ingen
Vigore, perſpicacia,
Acumine, & valentium eloquentia,
Scientieq; copia,
Si ab inferis, benignitate numinis
Supremi, in huncce denuò
Reuertat orbem, amabilemq; luminis
Apollinaris, banc oclis

Facem

Facem intuat, atque pristinis sui
Bonis fruatur ingenl;
Quid? ipse immò Apollo cum puellulis
Suis nouem, licet velit,
Suasq; iungat vniuersa copias
Ab axe Eoo ad Hesperum,
Trionibusq; septem ad humidi plagam
Noti, erudita natio,
Dei benigna quam potensq; dextera
In hoc dedit nouissimum
Redire seculum, ingenl omnibus bonis
Politam & eloquentia,
Nihil tamen politius, suauius
Nihil, nihilque mollius
Fluens, nihilq; tinnulum & mage elegans,
Nihilq; delicatulis
Tenellulisq; virginum nouem nihil
Mage expetendum ab auribus,
Metri in coactione tanta Iambici,
Sciat queatq; scribere,
Iambon vnum vt omnibus necesse sit
Locis pedem implicarier,
Tui ocelle, corculum, suauium,
Choriq; flos Poetici,
Meri atque miri Iambici elegantia &
Suauitate carminis,
Quod expetentibus, quod approbantibus
Politioris ingenl
Et eruditionis omnibus viris,
Sacrisq; vatibus simul,

1 Dea

Dea nouena, amabilesq; Gratia,
Apollo & alma Faustitas,
In ora iussit ire docta, publicum
Et vsu, in emulantium
Manusq; nuper & stylum sed irrito
Labore, spe, cupidine.
Enim cui quis elegantiam genl,
Quis assequatur ingenl?
Ter ergo, LANE, me quaterq; & amplius
Beatum, & omnibus bonis
Sat affluentem, & auctiorem honoribus
Feram nouis, sodalium
Deas colentium nouem atque Apollinem,
Sororculasq; Gracias,
Me in album & ordinem referre si velis
Tuum, bonusq; me finas
Vel in nouissima angulo tabellula
Habere nomen vltimo.
Sed o me ineptum & impudentem homullulum,
Per hos putantem iambicos
Id impetrare posse me, meros quidem,
Rudes sed hercle & asperos.
Abi hinc malam inq; maximam, inquiet, crucem,
Chori corona Musici,
Feroce, DOVZA, Marte, & inclytus lyra,
Petitione cum tua, &
Inelegante rusticoq; carmine
Iambico procul tuo.
Rudi quid anseri atq; stridulo tibi
Negotij cum oloribus

Suave

Suaue Apollini vsq; virginum & nouem
Melos choro canentibus?
Tuis vacare versibus mihi haud vacat,
Iambicis licet meris;
Mibi meus, Brabantici decus soli,
Scholaq; fama LEIDICAE,
Reconditæ eruditionis vberè,
Sagacitate iudicij,
Potensq; acumine ingenij ille LIPSIVS,
Meusq; PROSPERVS FABER,
Suaq; bina Gallie illa lumina
DONELLVS & CVACIVS,
Et his simul PITHOEVS & BRISONIVS,
GEORGIVS KATALLERVS,
GVELLIVS, ROCASIVSq; CAROLVS,
LANAEVS atq; LERNVTVS,
Meorum & in omni sodalium HEVRNIVS,
Et inter hosce BAVDIVS,
Episcopusq; IANVS ille PÆONVM,
Apollinem atq; Mnemones
Puellulas qui ab Hippocrene ad Istrias,
Aguasq; primus Austrias,
Deum bona & fauente duxit alite,
(Inusitata & infrequens
In orbe nostro avis, cyenoq; nigro, vti
Poëta ait, simillima)
Ibericum Italumue vatem idoneus
Bonusq; in acre quemlibet
Nouo hoc, vel ex vetustiore seculo,
Choro probante cœlitum.

Poetica artis euocare praelium,
Mererierq; Lauream,
Domus adhuc propago nobilissima
TITVSq; STROZA & HERCVLES,
Vel ipse quorum in aureis metris Maro
Dari recuset arbiter,
Parénsne filio, an parente filius
Poeta sit politior,
CASANOVA, ACTIVSq; SANNAZARIYS,
HYELLVLAq; cum sua,
Et elegante bellulaq; villula
Suavis ille FLAMINIS
Poeta voce dictus, & vir integer,
Libris & inclytus sacris,
Vetusta quem velint videre secula,
MARVLLVS, atq; IVLIVS
Tuum, ille CAESAR, Itala atq; Celtica,
Decus perenne, SCALIGER,
Potens viris scientijsq; natio,
Nec hoc parente filius
Scientiae ingen lue laudibus minor,
Seuera cuius haec metri
Referre nomen hoc me Iambici loco
Metri vetat necessitas,
Deiq; singulari in hac nouissima
Benignitate tempora
Datus scientijsq; BEZA & omnibus
Benè expolitus artibus,
Poeta & ipse nobilissimus, pio
Bonoq; cuilibet senex

Amen.

Amandus & colendus, ut pater, crepene
Licet sua ilia inuidis,
Et ille Solis à cadentis orbita
Eoam adusque nobilis,
Scientiaq̄ claro & arte, clarior
Suoq̄, patre doctior
ROBERTO ERICVS, ad Lemannici lacus
Aguas celebris, artifex
Typographus, typographiq̄, filius,
Secundus arte nemini
In hac, idoneum vnde ei Pelasgica
Corona nomen indidit;
GEORGIVSq̄, BVCHANANVS, aspero
Qui in vltimi orbis aëre,
Vbi tribustrionibusq̄, quattuor
SCOTVM propinquum, in horrido
Salofremencia vsq̄, monstra territane,
Natatilesq̄, belluae,
Licet creatus, educatus, attamen
Chori locum Poëtica
Meretur auo in hoc tenere Principem,
Probantibusq̄, ceteris,
In arte Roscius cluit Poëtica,
Meusq̄, PASSERATIVS,
Gerensq̄, nomen ille IANVS aureum,
Et aureum canens melos
Reabse, Regioq̄, munere, optimo
Poeta iure Regius,
Et ADRIANVS ille IVNIVS meus,
Et Aonum & Machaonum,

Batauiciq³ lux decusq³ nominis,
Et optimus GRVTRIVS,
Meus ciuis HAGIVS, vocabulo
Quidem, reabsq³ nemini
SECVDVS arte IANVS in poëtica,
Et osculis Hymettijs,
Meiq³ FRVTERI, meiq³ MODII
Modesta Musa & elegans,
Et elocutionis ille sedulus
Soniq³ ADOLFVS artifex
MEKERCHIVS meus Pelasgici decus
Suaq³ fama Flandriae,
VBIq³ magna spes, decusq³ PALMERVS
Agri futurus, inuidam
Auarani intulisset Atropos manum,
Bonos sueta tollere,
Suaq³ IANVS ille GVLIELMIVS
Domesticae propaginis,
LVBECAE & vrhis inclytae decus nouum,
Sinusq³ gemma Baltici,
Et huius utilissimis laboribus,
Honoribusq³ maximis
Nisi obstitisset, auferens & hunc nimis
Rapace forfice Atropos,
Soliq³ lumina illa bina Francici,
Tuumq³ Mœne, gaudium,
Meus MELISSVS, & meus LOTICHIVS
SECVDVS ille nomine,
Sed arte primus, atq³ nemini sua
SECVDVS elegantia,

Priore

Priore quemq̄ collocasse debui
Metro graduq̄, P O S T H I V S,
Potentium archiatus ille Principum,
Suaq̄, stella patria,
Tuusq̄, Moene, Nicre, Rene, flumina
In orbe nobilissima
Boreo, equis, viris, pecunia, artibus,
Et omnium affluentia
Bonorum, amor, decus, suauium, insuper
Poeta nobilissimus,
Bonis ad vnguem homo expolitus artibus,
Simulq̄, commodissimis
Et optimis grauissimisq̄, moribus,
Lepore & elegantia
Referta cuius, Atticis liquoribus,
Poemata vsq̄ sunt mihi,
Hymettisq̄, dulciora, & ipsius
Iouis, Deūm q̄, nectare
Hic ergo tam suauiter canentium
Sacris nouem sororculis,
Amabilissimisq̄, Gratijs tribus,
Et harum Apollini Duci,
Diserta tam vsq̄, & expolita carmina,
Chorus virūm tam amabilis,
Et omnium scientia artium inclytus,
Genlq̄, maximis bonis,
Et eloquentia ingenlq̄, dotibus,
Plagas ad orbis vltimas,
Hic, inquit, chorus mihi est, eritq̄, dum
In orbe sanus hoc agam,

Mei

Mei usque cura amorq; cordis, & meum
Perenne iure gaudium,
Et aurea horum erunt mea poemata
Suavis occupatio,
Laborq; mentis haud grauis, nec insolens,
Sed ingenii refectio
Amœna, honesta, liberalis, & decens
Bonis satumq; fortibus.
At hisce, quisquis es, qui iambicis tuis
Rudissimis mihi obstrepis,
Et à me in hunc referrier cupis locum
Chorumq; nobilissimum,
Et album amoris atque honoris indicem,
Et omnium omnibus Ducum,
Potentiumq; præferendum honoribus
Pecunijsq; Principum,
Tuos citò hinc ad anseres rudissimos
Faceffere, inq; maximam
Abire DOVZA, te, impero, malam crucem,
Nec assequi, quod expetis.
Meum ista turbulenta cogitatio
Prior pauore perculit,
Metuq; pectus anxium grauissimos;
Sed hanc statim benignior
Et, ut fit, altera in secuta blandior,
Citis & aptior metris,
Mea priora mentis illa nubila
Molesta perquam & horrida,
Apollinaris instar expulit facis,
Sereniusq; reddidit

Mibiq;

Mihiq̄, pectus excitatus meum
Metris in his iambicis;
Quid ista tam sinistra mentem opinio,
Tibi inquietat, optimo,
LVDOLFE, de Poeta, & optimo viro,
Suaq̄ luce patria?
Sui clientis atq̄ DOVZAE amasij
Cor esse tam verant ferum
Apollo Mnemonesq̄, virgines nouem,
Duaq̄, & vna Gratia,
Modeste honesta postulantis, ardua
Licet satisq̄, grandia,
Vi hanc tuam superbus atq̄, cetericus,
Iambico precem mero,
Styloq̄, scriptitacum honoris indice
Amoris atque candidi,
Licet locutione simplice & rudi,
Velit queatue spernere
Suum ille iam ante plurimis & optimis
Viris idem petentibus
Manu reclusit album amica & impigra,
Benignitatis & suae,
Genlq̄, pristinam ingenlq̄, gloriam
Sibi integram tuerier
Et in te, & in cui simillimis, modos
Amantibus poeticos,
Apollinisq̄, & Hippocrenidum choros,
Et in futura tempora,
Nec in tuis iambicis volet sua
Seueritatis, & noui

R Sui

Sui rigoris experiri modum.
Domus auita DOVZICAE,
Batauicæq; gentis illa comitas
Tot ante secla nobilis,
Et ipsa DOVZICI amplitudo stemmatis,
Propaginisq; dignitas,
Et huius eruditio viri omnibus
Ab eruditionibus
Bonisq; ubiq; prædicata carminum
Modis, librisq; plurimis,
Poëticisq; candor ille pectoris
Et inuidere nescij,
Nec hoc sinet probata rebus asperis,
Sagaxq; prouidentia,
Nec illa mentis ingeniq; celsitas,
Et equitas amabilis.
Metu ergo age & procul pudore rustico,
Inutili negotia
Ad omnia exsequenda semper ardua,
Valere iusso, iambico
Metro hoc nihil verere adire DOVZIVM
Prior, licet rudissimo,
Sua tabella in angulum nouissimum
Referre nomen vt tuum,
Rogans, loco ille non grauetur ultimo.
Ita assequere, quod petis.
In hisce mentis anxietatibus
Et occupationibus,
Pede ipse, IANE, me meoq; metiens
Modo, dum in alterum magis

Sinistra

Sinistra opinionis illius latus
Ferror-mihiquē conscius
Probè ipse tenuitatis ingenI mei,
Et artis imperitia
Poëtica, extimesco sordida probrum
Nimis repulsa, Apolline,
Mibi ecce, dextro, & omnibus puellulis
Novem iuuantibus, sacrum
Iugum quæ amant, lacusq; Thespianemus,
Probantibusq; Gratijs,
Tuus meusq; IANVS ille POSTHIVS,
Lyra potens poëtica,
Iatrica idem in arte nobilissimus,
Vir idem & integerrimus,
Is ipse, DOVZA, cui tuos lambicos
Amoris atq; symbolon
Dicasti & imputasti honoris, astitit,
Meiq; cognita metus,
Et hesitationis huius anxia
Origine atque fomite,
Quid, inquit, hoc, inepte, maceras leui
Tuum cor ipse somnio,
Inanibusq; disputationibus?
Quid instituto in hoc tuo
Probabili trahis moram improbabilem,
LVDOLFE, tamq; rusticam?
Metu ergo parce, meq; POSTHIVM tuum
Vide; hinc nihil periculi.
Meus mihi ille DOVZA multò amicior,
Et ille candor ingenI

K ij Nino

Nive & recente lacte purior, mihi
Magisq; nota comitas,
Et illa singularis est benignitas
Probator, quam ut hoc tibi,
Quod expetis, negare possit aut velie
Superbus atque tetricus;
Nec unquam id illa lenitas sine soli
Et aëris Batauici,
Nec amplitudo claritasq; stemmatis
Ferent auita DOVZICI, &
Domi forisq; parca Marte gloria,
Apollinisq; munere.
Ad haec, LVDOLFE, tam tibi cor aereum
Nec esse credo ferreum,
In hoc ut abrogare pertinaciter
Mibi fidem negotio
Queas, tuoq; velle POSTHIO audeas,
Metu implicata lentitas,
Et obsequendi inepta contumacia,
Sacra a corda Apollini,
Novemq; virginum choro, atq; Gratijs
Tribus, LVDOLFE, dedecet.
Quid in re aperta opus tibi esse pluribus
Putem probationibus?
Idoneorum adest parata copia,
Idemq; sentientium,
Tibi mihiq; testium, quibus foret
Nimis superbum & insolens
Resistere, atq; honesta consulentibus
Et aqua, nolle credere.

Tibi

Tibi ecce, saxo, spondeant idem tui,

Vetustiore vinculo

Et arctiore iam antè amoris agniti

Tibi, viri integerrimi,

Et eruditione nobilissimi;

DONELLVS ante ceteros,

Biturrigumq; Teutonumq; gloria,

Batauicâq; LEIDIAE;

Puertiaq; Doctor ille sedulus

Tua olim, ad Arcton incluta

Vbi vrbs sita, à rosis habere creditur

Originem vocabuli,

Apollini Hippocrenidumq; cœtui

Domus sacra virginum,

DAVID CHYTRAEVS, ipsa ad vsq; sidera

Boreo ab axe nobilis;

NATHANq; frater huius, alterum decus

Domus suâq; patria,

Vir optimus, simul poëta & optimus,

Lacusq; cura Thespij,

Et incolens, & excolens πόδ' & πόλι'ν

Sui arte & ingen' bonis;

Et ille comitate comior, tuus

CASELIVS, Pelasgica

In elocutione mirus artifex,

Et Attico poëmata

Sonoq; Tulliano & elegantia

Peritus ingen' vberis

Sinu erudita promere, atq; Baltici

Corona clara littoris,

K iij Tuâq;

Tuæq̄, Varne, sidus vr̄bis, & scholæ
 Amor, decus, suauium.
 Sed hoc tacere de viro, minuta quàm
 Breuiq̄ pauca dicere,
 Mihiq̄ & illius puto esse laudibus
 Magis decorum, & aptius;
 ἧδὲ τῆς cui πόλις te & alma LEUCORIS,
 Panoriumq̄ nobile,
 Neapolisq̄ parua deinde mœnia,
 Bona hinc reuersum & alite,
 Locoq̄ redditum ordinisq̄ pristino,
 Panorium vice altera,
 Amore iunxit & LVDOLFE, mutua
 Fide, optimus sodalium &
 DOBINVS ille NICOLAVS intimus
 Tuorum, & ipse Apollini
 Nouemq̄, dedicata virginum choro
 Qui amans fouensq̄ pectora,
 Scientiaq̄, Iuris & potens Boni
 Et Æquitatis, interest
 Ducis potentis arduis negotiis,
 Grauiſſimisq̄ casibus,
 Tuusq̄ VVITEKINDVS ille patriæ
 Suae, soli q̄, VVestuali
 Decus, scholæq̄, parua quæ Nicro adiacet,
 At vrbs celebris, atque de
 Meris adepta montibus vocabulum
 Suae vetustum originis;
 Et ille fautor atque amicus omnium
 Chori virum Poëticis.

Aman-

Amantium, suiq̄ dulce Slesici
Decus soli, MONAVIVS
Tuus, cui tui imputasti opusculi
Recens poetici, forent
Honoris vt redintegrata tesserā,
Modos sonosq̄, funebreis;
Hymettijsq̄ dulciora apum fauis,
Grauisq̄, carmina amula
Tuba soni, MELISSVS artifex potens
Sui vberis profundere
Poeticiq̄ Musiciq̄, pectoris
Procul sonante flumine,
Iberico, Britannico, atq̄, Celtico,
Et orbe clarus Italo;
SIMOq̄, noster ille STENIVS, nouum
Et arte, & eloquentia
Decus domus paternae, agriq̄, Misnici,
Lycei item Panorij, *Steborg*
Vir optimus, Poeta mente candida,
Suauibusq̄ moribus,
Pelasgico & sonare promptus Italo
Modo erudita carmina,
Iocis vel expolita liberalibus.
Graui vel acrimonia;
LAGVSq̄, proximus tibi LEHOSVA
Necessitudine intima,
Sagace iudic I valens acumine,
Et elegantia styli,
Diuq̄, rebus eruditus arduis,
Periculisq̄, plurimis;

Et

*Et ADRIANVS ille BORCKIVS tuus,
Sua nouum propaginis
Decus, soloq; preferens facem suo,
Modestia, arte, stemmate,
Poëticaq; laude, acuti & ingeni
Bonis, reabsq; nobilis.
Virum tot ergo taliumq; cœui,
Et ordini grauissimo,
Idem probantium atq; sentientium,
Idemq; consulentium,
Voleat nec ipse DOVZA, nec LVDOLFE tu
Resistere, vt velis, potes;
Tua nec hoc negauerit DAVENTRIAE,
Solo haud procul Batauico
Sita, tuiq; fratris vnici pijs,
Poëta DOVZA, manibus,
Βάσις cui deditq; λαός inclytum
Vocabulumq; regium,
Suaq; quem cum amata ALEIDE coniuge
Tegunt sepulcra LEIDICA.
Tuos age ergo persice hos iambicos,
Morasq; tolle noxias,
Meoq; amoris arrham & indicem tui,
Nihil verere DOVZIO,
Licet remota mittere hinc procul maris
Bataui ad æstuaria,
Vbi ille NORDOVICII colit sui
Auita & ampla prædia,
Suamq; Marte & arte patriam, & Deas
Tuetur Hippocrenides.*

Tui

Tui hicce, IANE DOVZA, sermo POSTHIL,

In instituto ut hoc meo

Iambici meri, insolente mi metro,

Mecu absq̄ pergerem, impulit.

Poeta age ergo virq̄ nobilissime,

Rude hoc & asperum licet,

Sinu tamen profectum ab intimo optimi,

Tuiq̄ amante, pectoris,

Benigna, uti soles, manu cape, obsecro,

Petitioni & obsequens

Mea, & tui meiq̄, DOVZA, POSTHIL.

Meum tabellam in ultimam

Tui hacce nomen insere indicis nota,

LVDOLFE, habes, quod expetis.

EITELBERGAE, III. eidus

Ianuar, anno CIJ. IJ. XIVC.

IN DOCT. HENRICI SME

THI CARMEN DE ARTIS ME

DICAE ANTIQVITATE ET

praestantia,

ὁκτωκκα δεκάσιχον.

Quid faciat sano vegetos in corpore sensus,

Quae via Pegaseas proxima monstrat aquas,

Herbarum Princeps & carminis autor Apollo

Fertur mortaleis edocuisse rudelis,

L Et

*Et variam contra morbos monstrasse medelam,
Utq; forent certis verba liganda modis.
Hac multis luditantum, nugæq; canoro,
Nec sunt indocti fabula plena ioci.
At Pallatini decus & noua fama Lycei,
Vitiferos placidè quâ Nicre lambis agros,
Phœbea meritis redimiri tempora lauro,
Hoc gemina verum S M E T I V S arte probat.
Nam simul & medicam tractat feliciter artem,
Et canit Æonia carmina culta lyra.
Misceat ut succos variasq; fideliter herbas,
Exemplo didici non semel ipse meo;
Mollibus ut valeat numeris & diuice vena,
Indicio prasens esse poëma potest.*

Pridie Non. Iunias, C I J. I J. X V C.

IN POEMA SAXONICVM
ÆZNRÆ BSS DE DDE/
CARMEN PHALÆCIVM, AD ORNATISSIMVM
pietate, modestia, eruditione, & generis no-
bilitate iuuenem,

ADRIANVM BORCK POMERANVM.

H *Vnc tibi Pirhopæus, Adriane
Lucundissime, de nota libellum
Commendo meliore, doq; dono,
Ut lectum quater, & quater relectum*

Altè

Alcè sensibus intimis reponas.
Est hoc Saxonica quidem poëma
Descriptum (quis enim negare tentet,
Quod res indicat euidenter ipsa?)
Lingua, Reinike Voss de Olde dictum:
At si quis facileis & eleganteis
Rhythmos, & numeros sua fluenteis
Sponte, alti & placidi instar amnis, aucti
Hiberna niue, & imbre continente,
Nil durum in quibus est, nihil coactum;
Et poëmatis huius expolitam
Totam totius elocutionem,
Non præiudicio occupatus vlllo,
Attenta meditatione spectet;
Et aptam seriem ordinemq; rerum
Toto carmine ritè singularum
Expendat tacitus; frequensq; verset,
Quanta sollicitudine atq; cura,
Quisquis carminis huius est poëta,
Omni ex parte poëticum decorum
In cunctis animantibus labores
Expressisse bonis vbiq; verbis,
Cuiusq; ingenij, loci, statusq;
Ortus, temporis, atque dignitatis,
Consuetudinis & negotiorum,
Ætatum, officij, sodaliumq;
Personæ, studijque, ceterarum
Et circum ratione stantiarum
Seruata; egregiamq; perspicacis
Et raram ingenij sagacitatem,

L ij Ac

Ac motus celeres & excitatos,
Acumenq̄, nouum atq̄, singulare
Argute inueniendi & erudite
Tam bellum, lepidum, decens, venustum
Figmentum; insuper & facietiarum,
Locorumq̄, modos amœniorum
Sexcentos, sale sparsa multo & acri
Ac mordacia dicta, que legentum
Profundè penetrant & audientum
Menteis vitacita, sed efficace,
Non sine eximia suauitate;
Et risus hilaris sub inuolucro,
Mira calliditate veritatem
Tectam, in tempore μάλα καὶ περὶ
συληρὰ dicere apud potentiores:
Contra quos nimia seueritate,
Candidaq̄, nimis, nimisq̄, aperta
Morum simplicitate, liberò ve
Sermonis nimium rigore, nunquam
Quidquam proficias, agás ve rectè;
Æquam quin etiam bonamq̄, causam
Agendo malè, vel malè eloquendo,
Non rarò facias malam atq̄, iniquam:
Hec, inquam, volet, Adriane, in isto
Si vel singula quis, vel vniuersa
Libro, non obiter, nec oscitanter,
Sed crebrò repetita, & erudito
Digna ac conueniente lectione
Obseruare, fideliterq̄, secum
Ponderare; meo quidem videbit

Ille

Ille iudicio, fatebiturque
 Lubens, posse poema comparari
 Hoc, cuius veterum aut recentiorum
 Scriptorum, Latio, sonove Græco,
 Genti Teutonice vel usitato,
 Quotquot materiam suopte Marte,
 Seu certis numeris, metroque certo,
 Seu nullis numeris, metroque nullo
 Tractarunt similem, sui que doctis
 Consendum ingenij edidere factum.
 Ergo volue, reuolue diligenter
 Et sepe, hanc lepidam, modumque supra
 Bellam, me monitore, versipellis
 Vulpis Reinike (qua magis disertus
 Et vaser veterator alter, vnquam
 Non fuit, nec erit, nec est, darique
 A nullo poteritve cogitari)
 Fabellam, sub imagine eleganti
 Carentum ratione bestiarum,
 Quales sunt Leo cum sua Leena,
 Cum lupa lupus, & dolosa vulpes,
 Quæ palmam reliquas in hoc theatro
 Omnes obtinet inter & triumphum,
 Tum melis, socia & comes fidelis
 Vafre vulpis, equique contumaces,
 Cumque vrsus, timidus lepus, canisque,
 Et simplex aries, vagusque felis,
 Cumque hircis olidi greges caprarum,
 Tum turpes quoque simia, atque asellus,
 Infelix animal, voraxque coruus,

L iij Anserque

Anserq̄ improbus, & siticulosa
Cornix, excubitorq̄ gallus, atque
Pica garrula, grus, ciconiaque,
Et quas prætereà referre, longum,
Quæ, tanquam in tabula tibi, potentis
Ad viuum exprimit atq̄ pingit aula.
Mores, ingenium, dolos, & arceis;
Ex qua, simplicitas, amorq̄ recti,
Cum pudicitia pudor, fidesque,
Et cum iustitia æquitas, Dei que
Timor serius, & decorus ordo in
Cunctis consilijs, negotijsque,
Et cum sobrietate temperatus
Omnium, quibus hæc carere, rerum,
Vita non potis est, & æquus usus,
Candorq̄, haud aliud regens doloso
Clausum pectore, quàm reuelat ore,
Et constantia, conscientiaque
Bonæ, & debita cura veritatis,
Tuendiq̄, probos & innocentes
Sincerum studium, manusq̄ prompta
Vim contra, insidias & improborum,
In summa, pietas, & omne honestum
Exfulare procul iubentur vsque
Extremos Garamantas atq̄ ad Indos:
In qua, calliditas amorq̄ pravi,
Impudicitia, impudentia, atque
Fides perfidiosa, iniquitasque,
Cumq̄ iniustitia, Dei profanus
Contemptus, manifestus inter omnes,

in, an

Infandusq; atheismus, & supina
Omnis religionis, & futurae
Vitae irrisio, nullus inferorum
Metus, supplicijq; sempiterni,
Atq; ataxia turpis & pudenda in
Cunctis consilijs, negotijsq;
Quis regni tamen atq; subditorum
Salus, gloria, vita continetur;
Tum foeda ebrietas, modiq; luxus
Omnis nescius, atq; temperati
Rerum usus, hominum quibus carere
Vita non potuit, potest nec vnquam,
Livorq; vsq; aliud regens dolo
Clausum pectore, quam reuelet ore,
Promta dextera, sed minax sinistra,
Lingua blandula, fraudulenta corda,
Verba splendida splendidaq; nugae,
Promissa aurea, Atuta rebus,
Et sophismata melle tincta dulcis
Inconstantia, conscientiaq;
Bona cura, illa veritatis.
Immo ardens odium, calumniaq;
Et mendacia, & improbi susurri,
Premendiq; bonos & innocentes
Quaesitum studium, laborq; suavis,
In summa, impietas, & omnis astus
Sunt summo in pretio, valent, vigentq;
Regnant imperium & tenent supremum,
καὶ πρᾶται ὁ κόλαξ αἰὲν ἄριστος.
Ἐρ δὲ δέυτερον πᾶσι συκοφάντης.

Hac

*Hac nosse omnia, & Adriane primis
Ab annis memori tenere mente,
Ex hoc vel simili perita libro,
(Quamuis, iudice me, libellus iste
Hac in materia antecellit omnes)
Salus, utilitasq; summa cunctis
Est, sed præcipue, benignitate
Dei, nobilibus, potentiibusq;
Quibus contigit esse procreatos
Ex auis, at auis, parentibusq;
Ut artes varias, dolosq; miros
Atq; incredibileis potentis aula,
Et venena liquore tecta suavi,
Discant, non proprio malo, suaq;
Stultorum, experientia, magistra;
Sed ex hac, speculo velut nitente,
Vulpis Reinike fabula dolose.
Fecisse ex alijs pericla scitum est,
Ex usu tibi quæ sient, bonoq;
Ergo conspicuum, Adriane, gentis
Antiquæ celebrisq; Borckiorum
Decus, præsidiumq; dulce quondam,
Et magnum columen future, vitam
Si longam tibi, quod precorq; & opto,
Valentemq; benigna prorogârit
Dei dextera temperantis æquo
Terras imperio, fretumq;, & astra,
Quando tu quoq; nobili atque longo
Stirpis sanguine, stemmatisq; auorum
Censeris, generis tui vetustum*

Splendo.

Splendorem • propria stude tueri
Virtute, vt facis, integraq; vita,
Et perge egregia eruditione
Ornare & pietate, moribusq;
Castis, ingenuis, probis, modestis,
Ac fuga ebrietatis atq; luxus;
Et hac in viridi tua iuuenta,
Dum vires animi vigent, suoque
Stant adhuc solidae tibi, integraque
Vires robore corporis, metumque
Extra omnem positus periculorum,
Liberq; à grauium negotiorum
Mole difficili & laboriosa,
Nec curis animum domus alenda
Distentus variis edacibusque,
Vni viuis adhuc tibi quietus,
Securusque, quid orbis in remota
Parte, Cantaber atq; bellicosus
Scythes cogitet, & nouos tumultus
Cui paret metuendus ense & arcu,
Cum iucundo hilaris legis sodali,
Honestae recreatione mentis,
Sensibus vacuis & otiosis,
In molli torulo, cubiculo ve
Solo, virginibus nouem sacrato,
Aut grata patulae arboris sub vmbra,
Adriuum tremulae supinus vnde,
Herbae graminis incubans tenacis,
Cum nota interioris aut Falerni,
Aut Chij veteris cado benigno,

M

Quo

Quo vates Venusinus, aut Cremonæ
Vicinus nimum, calestat igni,
Quos Darius, Geta, Phormio, Syrusve
Fraudes in proprios, dolumq; tendant
Heros, quid metuat, velitve Chremes,
A Dijs quid moneat petendum Aquinas
Vero, sed nimum salace verju,
Cur nouam paret expeditionem
Casar Heluetios & in Britannos,
Quo discrimine syllogismus absit
Enthymemate curto, & εἰσαγωγῆ,
Quid Antonius atq; Crassus olim
De tota ratione disputârunt
Dicendi, valeântne plus benigni
Dotes ingenij, arte regulisq;
Et quis nomine dignus eloquentis;
Istis ergo, Dei benignitate
A dhuc dum frueris bonis beatus,
Interdum posita seueriore
Camæna grauioribusq; scriptis,
Iocosa quoq; sume plectra Musæ,
Miscens stultitiam breuem bonamq;
Serijs studijs. Probante Flacco,
Dulce desipere est loco, modoq;
Ac velut medicus venena prudens.
Et herbas benè nosse pestilenteis
Sedulò studet atque diligenter,
Non hoc consilio, vel has, vel illa
Ægrotantibus vt propinet vnquam;
Sed contrà potiùs notata caute

Vt

Vt ipſus fugiat ſcienter, atq;
Ceteris eadem cauenda monſtret;
Sic & tu ſimili memento cura,
Ex hoc Reinike Voſſ pereleganti
Commento, ingenium, dolos, & arteis,
Et mores duplices, & atra dolci
Quæ ſub melle aconita deliteſcunt,
Perſpexiſſe potentis, Adriane,
Aula, multiplicesq; captiones,
Non vt has imitando comprobare
Vnquàm collibeat tibi, ſed omneis
Maturè vt tibi cognitæ ſuèſcas
Vitare, ac cane peius, & malo angue
Oderis, fugias, & exſecreris.
Nam quiſquis ſapit, & pius, bonuſq;
Caſtus, ſobrius, integer, modeſtus,
Verax, candidus, omnis oſor aſtus,
Firma ac propoſiti tenace mente
Eſſe, & perpetuò cupit manere, &
Vitam ſub Lare proprio quietam
Ac letam exigere; is vel alta nunquam
Aula limina tangat, & ſuperba
Regum culmina, ſplendidaſq; turreis,
Vel ingreſſus in has ſemel, labore
Maturè inde pedem procul referre,
Nec vnquam in tumidam reuertat aulam.
Expertq; inuidiaq; morſuumq;
Quos inſigere amat calumniantum
Venenata, maligna, dira lingua,
Nec ſeuum & metuens nouum tumultum

M ij

Fortuna

Fortuna instabili volantis axe,
Et rerum varias vicésque miras,
Id tantum meditetur atque cures,
Quod Deo queat & bonis probare.
Hæc scire ut meliùsq; certiusque,
Et præstare simul queas per omnem,
Quæ tibi superest agenda, vitam,
Istud Reinike Voss de Olde bellum
Et plenum ingenuis poëma ludis,
Ne te pœniteat quater relectum
Relegisse quater, frequentiusque;
Præter hoc tamen, Adriane, castos
Mores propter, & eruditionis
Præclarum studium, modestiamque,
Fortibus iuuenem & bonis creatum
Quæ decent, generisq; stemmata ornant,
Amande & meritò mihi colende,
Nocturna terens & manu diurna
Te Plautum haud pigeat, Terentiùmque,
Et dextræ monumenta Tulliana,
Tum Caij quoq; Cæsaris labores
Gallicos, Libycos, Ibericosque,
Succo Nectareo suauiores,
Romanaq; decus perenne lingua,
Atq; Aristotelis libros docentes
οἱ κβ, ἡ δεα, καὶ πόλαι, & illos,
Quos de Rhetorica reliquit arte.
His adiunge breuem, sed elegantem
Sallustii historiam, Paterculique,
Plutarchum, Tacitumq; Liuiùmque.

Et san-

Et sanctas Senecæ utriusque chartas,
 Sueton I quoq; Cæsares tremendos,
 Florum, Pulybiumq; Curtiumque,
 Et Persi, Iuuenalis, atq; Horati
 Mordaceis satyras, nimisq; veras,
 Salsæ & carmina casta Martialis.
 Tum nostri quoq; fabulas Faërne,
 Nec non scripta diserta Cominæ,
 Et magni chronicos libros Philippi,
 Cui nomen dedit atra terra clarum.
 Hos ergo simileisq; classicorum
 Auctorum vigili, Adriane, libros
 Si volues studio, ut facis, Latine
 EËip, perspicue, eleganter, apte
 Dicendi tibi comparabis, atque
 Olim inter numerabere eloquentis
 Postremo minimè loco, vel istud,
 Vel quos præterita audiere secla;
 Adhæc egregia tuum replebis
 Rerum cognitione plurimarum,
 Pectus hoc iuuenile & optimarum,
 Et mores hominum, urbiumq; leges
 Multarum varias legendo disces,
 Nec paruum sapientiam, modumque
 Cautæ sic bene providæq; vitæ
 Adquires tibi, cuius in futurum,
 Et præsens queat esse certus usus,
 Tum sophismata, splendorumq; fumos
 Vulpis Reinike cum potentis aula
 Blandis insidiis, doliq; plene

M iij Nouisse,

*Novisse, & poteris periculo absque
Odisse, & placida frui quiete,
Virtutis studiosus artiumq̄,
Cultorq̄ assiduus nouem sororum.
Hos tuū studio atq̄ amore scriptos
Versus hendecasyllabos, sereno &
Ut soles, hilari, Adriane, vultu
Accipe, atq̄ mei memor, poēma
Hoc vulpis lege Reinke verisipellis
Frequens, & leuidense munus istud
Boni consulito, optimo profectum
Et corde ingenuo, tuiq̄ amante.
Verū pluribus haētenus, nimisq̄
Quae fortasse probare copiose
Conatus tibi sum, nimis benignus
Curæ & temporis, illa cuncta rursus
En nouem cape comprehensa verbis:
AVLAE NOSSE CVPIS DOLOS POTENTIS?
Istum perlege sedulus libellum.*

IV. Kalendas VL. tileis, anno à nato Christo
CIC. IC. XXC.

AD SIMONEM STENIVM
DE PARTICIPIIS IN NS ET VS IN
FINE PENTAMETRI ELEGIACI.

*C*ur mihi tam figis duras in carmine leges,
Ut nolis elegos claudere ritè Legens,

Cunctaq̄

Cunctaq; de verbo partem, de nomine partem
Quæ capiunt, & in ens terga sonora trahunt,
Grammaticos vrgens canones, exempla q; vatum
Certa veterum semper in ore ferens?
Ille poëtarum quæ re, quæ nomine CAESAR
IULIVS à Scalis nomina celsa gerens,
Qui potis est vnus cunctis certare poëtis,
Artibus ingenio, stemmate, Marte, Lyra,
Quos vel nostra sacris longè clarissima Musis,
Prisca vel antiquis secla tulere viris,
Qui caput, hanc inter nos, me componere litem
Si finis, humanis altiùs exseruit,
Quo sibi bellatrix Germania plaudit alumno,
Gallia quo sese iactat & Italia,
Ille suæ lux & VERONAE gloria CAESAR
SCALIGER, Conij delicia q; chori,
Ter, quater, & plus quàm libeat numerare legendo,
Hoc elegos gaudet claudere fine suos.
En tibi diuini cultissima carmina vatis,
Carmina Mæoniis equiparanda modis,
Carmina SCALIGERI, libris distincta duobus,
Discipuli BORCKI munera grata mei,
Quæ mihi permittant, exempla probata sequenti,
Pentameetri quinta ponere sede Legens.
Cur mihi non liceat tanti vestigia vatis
Pace tua, vates optime, velle sequi?
Aut hanc ergo mihi veniam da commodus, ipsum
Aut simul autorem carpe nota q; meum,
Illum quadruplici metuendum nomine cunctis
SCALIGERVM momis, Grammaticis q; malis;

IULIVS

IULIUS à prisco sortitur nomen IULO,
 CAESARIS à magno CAESARE nomen habet,
 Ingenio vates transcendit SCALIGER omnes,
 Veraq̄, VERONAE nomen amare dedit.
 Quid multis? vnus IULI mihi sufficis, vnus
 Omnia CAESAR habes, omnia CAESAR eris.
 NASO, CATVLLI, TIBVLLI, PROPERTI, GALLI, VALETE,
 Quisquis item, quiuis quod scit, amare doces.
 Cur, quia tale nihil vestris in versibus exstat,
 Dem mea seruili colla premenda iugo?
 Vno SCALIGERO sat amico CAESARE felix,
 Ille mei vindex carminis vnus erit.
 Eminet hic veteres inter vatesq̄, recentes,
 Doctrina, & generis nobilitate sui,
 Ut reliquas inter caeli vaga Cynthia flammis,
 Per liquidum roseis aethera fertur equis.
 Ergo Legens posthac aequis legisse memento,
 Cunctaq̄, quae similem cernis habere notam.
 Huic si fortè Legens nostro concedere nolis,
 Prorsus id ex elegi cedere sine iubens,
 Grammaticas in te turmas, pugnamq̄, ciebo;
 Nostras inde minas, sed magè facta caue.
 IOSEPHVS veniet IULI dignissima proles,
 SCALIGERAE veniet cuncta propago domus,
 Auxilio mihi quae sit contra vimq̄, dolumq̄,
 Defendatq̄, patris metra decusq̄, sui.
 Tunc ego, Iudaeus veluti, concedere nostras
 In partes cogam teq̄, gregemq̄, tuum,
 Et mea securè pelago dans vela patenti,
 Non metuam regni sceptrum seuera tui,

SCALI-

SCALIGERIQ; metris IULI municus & armis,
Vestualico vincam Misnica metra pede.
Sizua sic etiam mollescere corda nequibunt,
Tunc ego te verè Stenion esse feram.

V. Kalend. VI. leis, CIO. IO. XVC.

STENIVS PITHOPOEO S.

SCALIGERI magni, fateor, natusq; paterq;
Sed mihi maiores pace, LVDOLFE, tua,
Quos prior est mirata, sequens mirabitur aetas,
Sidera dum cælum, Nicrus habebit aquas,
Dum miser HOLDERI cuculus conuicia fundet,
Atq; erit in terris notus VBIQUE FABER.
Regula ceu ligno, ceu riuo limpidulus fons,
Carminè sic melior Musa recente vetus.
Vnde suos nosset numeros vel SCALIGER ipse,
Pieris, ò Latium, si tibi nulla foret?
CAESAR cedat ouans quauis ex arbore agensq;
Teq; manente manens, teq; ruente ruens.
Si lubet, adiungat minuensq;, volensq;, eumensq;
Sive volans rapido carmine, sive nouans;
Vmbria nos aliter, gelidisq;, vberimus vndis
Argutos elegos fundere Sulmo iubet.
Non tamen obscuro pratexis nomine culpam;
CAESARIS est aliquid signa pedemq;, sequi.
Forsan SCALIGERI tibi sunt id, quod Ciceroni
Humanæ Sophiæ gloria prima Plato,
Cumq;, illis mauius labi, quàm vera probare,
Quæ rata priscorum versibus esse vides.

N Vero

Vrere iudicio, nobis ridentibus, isto;
Verùm audi, cuius te meminisse velim:
Si VERONENSIS tibi fractis SCALA periculum
Attulerit gradibus, desine velle queri.
Nos te mature, LAMBERTE, monemus amici,
Optantes pedibus non nocitura tuis.

Eitelbergæ, 29. Iulij bellatoris, non Poëtæ,
vel belligeri, non Scaligeri.

IOHANNIS POSTHII AD
LAMBERTVM PITHOPOEVVM PO-
DAGRA LABORANTEM IOCVS.

O Cia Phœbus amat, sunt ocia grata Camœnis,
Rebus & hæc vates omnibus ante ferunt.
His sine quandoquidem fieri memorabile carmen
Ipse pater vatum Pieridesq; negant.
Ocia Mæcnas olim nisi longa Maroni
Fecisset, tantum non cecinisset opus.
Tàm bona nec culti legerentur carmina Flacci,
Ocia nî Tuscus suppediasset eques.
Nostra sed huic similem videant quum tempora nullum,
Mæcenatis agit sola podagra vices.
Hæc sola egregijs facit otia certa poëtis,
Et superat magnos hac ratione Duces.
Ergo canenda tibi, Pithopœe, & laude rehenda est
Hæc domina, ingentis quæ tibi causa boni.

L A M.

LAMBERTI PITHOPOEI
AD IOHANNEM POSTHIVM

PODAGRA VACANTEM IOCVS

ἀποικαίῳ.

Ocia grata quidem, Posthi doctissime, Musis
Sunt, fateor, tua ceu Musa diserta canit;
At ea, quæ mentis seruant iustumq; vigorem
Corporis, atroci quæq; dolore vacant,
Non ea, quæ seuis gignit mihi sæpè tyrannus,
Mæcenatis agens dira podagra vices.
Ocia Mæcenæ si tam iucunda dedisset,
Tàm Maro præclarum non cecinisset opus.
Nec toties, culti legerentur carmina Flacci,
Hæc dare si Tuscus dona suëssæt eques.
Quòd si fortè tibi quod nolim, atq; exitus absit,
Et sunt hæc Musis ocia grata tuis,
Non equidem inuideam, tibi quò minùs omne per æuum,
Mæcenatis agat dira podagra vices,
Illius & scribas læto præconia versu
Plurima, cum vireis exseret illa suas.
At ego, dura licet, tractare negocia malim,
Hostibus hæc relinquens ocia grata meis.
Hæc tibi, de molli, nondum placata, grabato
Rescribit tremula nostra podagra manu.

V. Kalendas Ianuar. anni CIJ. IJ. XXCVI.

N ij IN VIA

IN VIATOREM HELMIORUM
PITHOPOEORVM SYMBOLON,

DESVM TVM EX EPISTOLAE AD

Hebraeos capite 13. vers. 14.

IN caelum palmas animumq; & lumina tollens,
Exsul, inops, longam promptus inire viam.
Cum populis vrbes liquens, cum regibus aulas,
Quidquid & insano vulgus amore stupet,
Assiduos tolerans tranquilla mente labores,
Impiger iniunctum carpo VIATOR iter,
Incertus, quò fata ferant, vbi sistere detur.
Hic mihi nam requies nulla laboris erit.
Dum varias igitur iactor malè tutus in oras,
Nec licet in patria figere sede pedem,
Aeternas meditor sedes. huc ducere tandem
Quae recto possit tramite, quæro viam.
Quarenti tu Christe viam mihi pande rogatus.
Sic reliquum claudam te duce letus iter.

Prid. Non. Septemb. Cl. I. L. XIX.

IN EVNDEM.

Qui iussum modica contentus sorte VIATOR
Pergit iter, vitæ symbolon esto meæ.

IN EVNDEM.

μέλασσαν ζήτω. οὐ γὰρ πόλις ᾧδε μένυσα.


hoc est,

Hic incerta mihi est, aeternam quaerito sedem.

Ruff erd

Auff erd hab ich kein gewissen platz/
Im himmel such ich meinen schatz.
Auff erd ist durchs elend mein pass/
Daheim im himmel wird mir basz.





ERRATA.

B. 1. facie 1. v. 10. lege, nos quoque hanc.

C. 1. 2. 2. & ab Electoralis.

Ibid. 2. 1. 11. in hoc sterili.

D. 2. 2. 23. apophthegma, $\tau\upsilon\omega\delta\iota\ \sigma\epsilon\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon$, attribuitur.


Ibid. 4. 1. 2. Epicharmi.

E. 4. 1. 4. $\downarrow\epsilon\upsilon\sigma\alpha$,

H. 1. 11. *A* primo, fateor, vernantis.

Ibid. iuuenta.






Cl 2917

8

MS





سببی

LAMBERTI LVDOLFI
PITHOPOEI, DAVENTRIEN-
SIS, POST REDITVM IN ACA-
demiam Eitelbergensem,
DE STUDIO POETICES
ORATIO I.
AD ILLUSTRISS. PRINCI-
pem Fridericum, Ludouici VII. Ele-
ctoris Palatini F.



EITELBERGÆ,
Typis Iacobi Mylij,
CIC. IC. XXCVI.

